



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...

Pars Altera Libri XVIII

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1625

Liber Duodecimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11182



IOSEPHI RIPAMONTII
E COLLEGIO AMBROSIANO
HISTORIARVM
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Duodecimus.

METROPOLIM PROVINCIAMQ;
Mediolanum, & principem hunc In-
subrię populum, ab ea libertate, quam
post lapsas Imperij Romani opes, ad
eiusdem Romanae Reip. similitudinem
inuaserat tenueratque per aliquot se-
cula incorruptam, Turriani primũ sub tribunitię
potestatis titulo in seruitutem periere. Deinde Viceco-
mites Turrianis ciectis pari fallacia principatum sibi
vsurpauere eundem, Archiepiscopusque Otho, vi si-
mul, & gratia, commendationeq; Pontificatus illato
in familiam suam, Tribunorum nomine, decepta patria
Caesaribus elusis viam ad Imperium inclytum fama
per gentes omneis posteris suis aditu hoc inuenit, vt ad
ludibrium denique tantarum rerum, Philippus Maria,
nepotum

nepotum vltimus filiam vnicam, & cum filia regnum alieno homini relinqueret, inimici generi socer inuisus, cui in moriendi dolore tristius morte hoc ipsum fuit. Quas vrbis nostrae clades, Turtianorumq; & Vicecomitum istorum facta, quae prospere, quaeue secus euenere, superioribus libris cum fide exposui, quoad necesse erat, vt tradendis Ecclesiae rebus suscepta haec cura perageretur. Neque enim peragi poterat, statusue repraesentari Ecclesiasticus, nisi ciuilia simul ista, ciuiumq; ipsorum casus repraesentati essent, ambigui, truculenti, felices; & finita iam Vicecomitum successione, nouam Ecclesiae rerum seriem ab dominatu alio inchoaturi, liberos itidem in isthac profana egress⁹ meditamur. Quādo enim exiere ad bella Principes, quin Episcopi quoque trepidarint atque consulstarint? Quando tumultuata est armataue Ciuitas, quin simul Ecclesia concuteretur? Acies verò ipsae, quae conflixere, & agmina ipsa nonne ex Ecclesiae corpore cum gemitu, & damno eiusdem abruptere sese? Damna denique, & clades direptionum, vastationum, obsidionum, irruptionum, quando unquam sine Ecclesiae clade fuerunt? Non ante discrimen sollicitudo alibi maior, non partim victoriā plus laetitiae quā in Ecclesia fuit. Iam si quid ab Ecclesiasticis hominibus, vel operæ, vel consilij ad gerenda bella prodierit, vel potius, si quid rei gestum fuerit, quin opes, & artes, & ministeria aliqua nostrorum interfuerint, neque principes ipsi ignorant, neque nos magnopere gloriati fuerimus.

Ne illud quidem addidisse iuuat, quod sicuti rara semper sunt in omni, vel Ciuitate, vel Imperio decorata pacis aut belli sine prudentia aliqua & virtute factorum, sic ad hominum flagitia, nimium saepe adfuerit toga rasusque vertex. Ceterum, minime ego dissimulauerim, eam semper principum nostrorum fuisse magnitudinem, & vrbis, rerumq. in ciuili administratione gestarum, ut si quis proprius idoneusque narrator ei separatim muneri existat, possimus nos, vel incusari, quod leuiter ista attingendo obscurauerimus, vel excusari, quod non attigerimus plura, quam quae res Ecclesiastica secum trahebat. Philippus Maria Vicecomitum Ducum vltimus decessit anno *MDCCCXLVII.* tempusque id esse depellendae seruitutis rati Mediolanenses, fortius omnino quam feliciter ad eam rem incubuere, iamque sese pro liberis haud dubie gerebant. Inter quae non duraturae libertatis exordia Archiepiscopum Mediolani fuisse nullum, tradidere quidam, quibus ego vtrique assentirer, nisi potiores apud me authores alij superstitem Pontifici Caprae Ioannem Vicecomitem, de quo dixi, alterum facerent. Cum enim ad Philippi Mariae fere finem Caprae vitam Pontificatumque perduxerit, contraria ei sententiae, & certissima coniectura dari hinc videtur. Neque verò dici potest, superstitem Caprae Ioannem illum fortasse fuisse quidem sed nihil iuris aut potestatis ad Ecclesiae gubernacula habuisse, cum vniuo creatus, ideoque deiectus Pontificatu antea esset. Apparet namque fuisse etiam
 restitutum

restitutum, idque conuincitur Apostolici diplomatis testimonio, quo diplomate piam ipsius mentem de sacerdotijs quibusdam nouis instituendis laudat Pōtifex Eugenius, annuitq; , ut ea sacerdotia ex Apostolicae Sedis autoritate instituat , quò auctior, & florentior in Ecclesia Mediolanensi diuinus cultus esse possit, & quò pluribus simul ipse munimentis ad aeternam salutem insulat . Ibi verò, & Archiepiscopum Ecclesiae Mediolanēsis Apostolicae literae nuncupant Ioannem hūc Vercellini Vicecomitis filium, & omnia affabilitate honoreque verborum prosequuntur; quarum sane literarum huc transferre summam iuuat, vt melius clariusque noscatur origo sacerdotiorū, quae ab Archiepiscopo illo Ioāne fundata gentilitia hodie posteris eius manent . Summa igitur ea litterarum haec fuit . Reuerendissimum in Christo Patrem & Dominum Ioannem Archiepiscopum Vercellini Vicecomitis filium volentem amplificare Mediolanensis Ecclesiae cultum, pioque animo, pro fluxis & caducis mortalium rebus, supera, & aeterna cogitantem supplicasse Apostolicae Sedi, vt ex eius autoritate licitum sibi esset, ad cetera loca Canonorum templi maximi, locum addere vnum, quē obtinens Canonicus, dignitatis vocabulo Praepositus appellaretur . Supplicasse item, ut in D. Nazarij Aede ad Aram, quae Florana dicitur, & in Téplo maximo ad aram alteram, quamcunq; ipse elegeret, ius facultatemq; haberet sacerdotia instituēdi ad rem diuinam in vtraque ara perpetuo faciendam.

Bbbb 2 dam.

dam. Quae sacerdotia, & cum Praepositi titulo Canoniarum, Archiepiscopus idem, sicuti suo aere fundaturus instructurusq; esset, ita supplicasse, ut sibi, heredibusq; suis, postquam ipse decessisset, ius foret eligendi ac nominandi homines idoneos, quibus ea demandarentur. Ea consilia & postulata, quia pia & iusta essent, continerentque diuini cultus amplificationem, etiam auctoritate Apostolica debuisse comprobari, ideoque annuisse Pontificem Eugenium, ut Archiepiscopo Ioanni cuncta ea sicuti essent exposita & petita gratificaretur. Inerat deinde diplomati mandatum aliud Apostolicum, ad Iosephum Bripium Canonicum eiusdem Ecclesiae Mediolanensis, ut ille, inspecta & cognita donatione bonorum, quae sacerdotijs instituendis ab Archiepiscopo Ioanne assignarentur, si re esse idoneam videret, exsequeretur, atque praecesset ei actioni. Assignauit Archiepiscopus, Canonico quidem & Praeposito florenos nummos centum; rei vero diuinae ad Aram utramque faciendae, nonaginta. Minime igitur ego dubito, quin, & Archiepiscopus iste Vicecomes, & legitimus Archiepiscopus Mediolani fuerit, tunc cum Philippo Maria extincto, Vicecomitum nomen ab superbia fastigioque principatus ad priuatae fortunae iura necessitatesque redierat. Sed mortuo Principe, tanti rerum motus aderant, belliq; tanta moles, ut sicuti haec Archiepiscopi illius actio sefellerat vulgatos vrbis annales, planeque exciderat ex omni litterarum memoria, nisi repertae forte apud Archiepiscopi heredes

des

des Apostolicae literae traditaeque nobis rem silentio obliuioni que exemissent; ita actiones alias eiusdem aliorumque Pontificum inercidisse mirum haud videri debeat. Nunc consilia Reip. Mediolanensis in vsurpanda tuendaque libertate, spes atque cupiditates Italiae principum interiectas, varios ancipitesque casus, & veluti dubitantem in eo discrimine fortunam, & qui demum exitus negotio fuerit, narrare pergemus. Mortuo Principe, Mediolanenses erectis ad liberandam urbem animis, haud sine execratione maiorum suorum, qui ab familia vna, per Archiepiscopi fraudem, seruitium patriae imponi illud passi essent, conspirauere, ne quemquam Mediolani regnare paterentur. In id, prouisis, quae prouidenda erant, multumque inter sese collocuti principes urbis etiam ante diuulgatam Ducis mortem, postquam ab intimis ea celari desira est, disponunt passim armatos ad omnia suspecta loca, vias ipsas transuersis fossis, & catenarum obijce, ne sit vlpiani ad interiora aditus, claudunt. Dein, tamquam haud dubie iam vsurpata libertate, principatuque deleto, Reip. formam, quam maxime aequabilem, repetitis ex veteri Rep. exemplis tumultuarie instituerunt; publicum urbis conciliū Senatusque octingentorum, qui summae rerum praesent, renouatur. Ceteri Magistratus in singulas portas descripti bini, hique facti bimestres, ut eunte per capita honore, pax animis, amorque status eius maneret: cetera omnia salubria, & apta libero populo quae possent esse conquirebantur; & quod
magis.

magis placebant initia libertatis, eò inuidiosius ex-
crabiliusque Vicecomitum & regni nomen fiebat.
Haud tamen prohibuere, quominus Philippus Maria
principum ritu sepeliretur, estq. sepultus pensili tu-
mulo post Aram maximam, quale Ioannis Archie-
piscopi monumentum manet. Alij, sepultum qui-
dem rite principem, sed die funeris, tantum fuisse
turbarum in vrbe tradunt, vt interpellata exsequia-
rum ceremonia ordineque confuso, pompa ipsa dis-
siparetur, & ab deducendo cadauere auersi Clerici si-
mul, & proceres, & familia tota, & populus ipse
spectator abirent, quà quemq; vel periculi metus,
vel cura aliqua suarum rerum, vel studium etiam
inane videndi quid fieret, auocarat. Erant publici
cōsilij capita repetēdaeq; libertatis authores, Antoni⁹
Triuultius, Theodorus Bossius, Georgius Lápugna-
nus, & Innocentius Coita. Hos, & principes fere
alij sequebantur, & plebs ipsa, ceu parentes patriae
suspiciebat, intentaque erat ad imperia eorum, &
nutus. Sed multa simul obturbabant terrebantque;
prope victor in vicino Venetus hostis, mora Italiae
totius arma ob relictam hanc sine imperio urbem,
vrbe in ipsa factiones directae trahentium rem ad
eundem Alphonsum, qui paulo antea captiuus Me-
diolani fuerat. Et erat Mediolani Regis eius exerci-
tus, missus quidem ab Rege subsidio aduersus Vene-
tos, cūm hoste imminente illo Philippus Maria peri-
clitaretur, sed nunc mortuo Vicecomite, eadem
copiae Aragonio Regnum, & sibi sedem in hac pro-
uincia

Vincia meditabantur, versaque in terrorem etiam
 auxilia erant. Praefectus eorum auxiliorum Raimon-
 dus Boilus, occupata Iouis arce factus ex auxiliari
 hostis, vexilla Regis sui populo ostentans concitabat
 turbatos nimium sua sponte animos, ut specie illa
 noui & externi dominatus obiecta alienarentur
 interdum ab ijs, quos liberandae patriae aucto-
 res nominauit. At viri fortes, quibus, neque perseue-
 rantis animi uigor deerat, neque ad consilium, quā-
 uis inter ancipitia expediendum, subtilitas ingenij &
 acumen, & rerum usus, eodem tempore, & ma-
 lum tollere hoc quod domi natum erat, parat, & ad-
 uersus imminentes alios undique hostes, praesidia
 opportuna moliantur. Raimondum cum Arago-
 nensem, corruptis auro qui circa ipsum in arce erant,
 deiecere inde, arceque recepta ipsa, inimicissimum il-
 lud libertati opus immissa cum ferramentis plebe de-
 moliri iunt. Familiam uero Raimondi, quae in Mona-
 sterij Ambrosiani aedibus erat, diripere, uniuersam,
 & multiplici in omnibus partibus terrore ostentato, du-
 ces alios peregrini exercitus adiungere sibi; quae
 omnia, nec prouidentius, nec feliciter administrari po-
 tuere, quam gesta, & administrata erant. paulatim
 inde agendo multa, & prouidendo labuntur ad con-
 silium, fronte quidem ipsa, & specie consentaneum
 prudentiae & felicitati eidem, atque liberantibus pa-
 triam in tali tempore prope necessarium, sed exitu
 ad id quod quaerebatur miserabili, & calamitoso.
 Franciscum Sforciam generum suum, philippus Ma-
 ria,

ria, saepe alienatum, saepe reconciliatum rursus, & semper, ut demonstraui, suspectum, paulo ante quam moreretur, victus inguentibus vndique periculis, rogauerat, ut ad se cum exercitu suo veniret, & in itinere ipso, dum properat ille, dum accingitur ad soceri mandata, nouae exortae suspiciones tardauerant venientem, & moratae erant, donec absumpto senectute ac finitis eo tandem exitu suspicionibus, agitare senectute demum ipse imperia, & res magnas coepit. Hunc, accepto nuntio de soceri morte, properantem ab Cotoniola, iamque progressum in Parmensium fines, & ibi castra habentem, re agitata in Senatu per Scaramutiam Balbum rogant, ut in eadem gerendi belli condiciones, in quas fuerat à Philippo Maria euocatus, venire pergat. Quod consilium, ut dixi, sicut exitio rebus fuit, ita salutare in frontem, & prope videri necessarium poterat ob inclytam eius hominis in re militari famam, ob veterani robor exercitus quem ducitabat, & quia nisi socius amicusque assumere, acerrimum fore hostem apparebat, vel suis ipsius auspicijs, vel translata ad Venetos omni uirium suarum mole. Erat Franciscus Sfortia Sfortiae Attenduli filius, cui Attendulo, sua virtus, & fortia facta apud reges gratia, opesque, & inde partem imperij, propriosque exercitus & ipsum Sfortiae nomen inuenere. Antea, Iacobus, sine Mutiolus fuerat; parentesque eius, Ioannes, & Elisia intra Cotoniolae fines honesti, praesagium accepisse terebantur, fore, ut deposito, quod ipsi imposuerant nomine, proles ea nomen assumeret aliud quod

quod fieret familiae cognomentum, & late noscitur
retur. Hoc igitur parente Franciscus ortus, post-
quam is in Aterni fluminis traiectu submersus absque
duce villo Sfortianum exercitum reliquerat, consen-
su militari salutus imperator, ac deinde, quacunq.
bellum aliquod gereretur, expetitus, & Philippo
Mariae praesertim ascitus, fortunaque sub ipso usus
ea, quae demonstrata est, nunc accepta à Mediola-
nensibus gerendi belli potestate, rei; militaris ad-
ministracione, statim diuisas curas habebat, tuendi
Mediolanensium ipsorum Imperij, & simul rapi-
endi vsurpandiq; inde quantumcunque posset salua
in speciem fide; donec gerendae demum alienae per-
sonae finis, belloque aperto inuadendi quos tuebatur,
tempus veniret. Appellatis in itinere Parmensibus,
acceptaq; ab ijs fide, ne ab Mediolanensium amici-
tia & autoritate discederent, Cremonam cum exer-
citu progreditur, quam ei urbem Philippus Maria de-
derat cum Blancam filiam in matrimonium daret.
Ibi condiciones, in quas fuerat ab socero conductus,
cum Aluisio Bossio, & Petro Cotta Reip. Mediola-
nensis oratoribus firmat, uno hoc addito, vt si Brixiam
ipse cepisset, urbem eam haberet liberam; si postea
Verona etiam esset capta, hanc quidem haberet,
Brixiam verò dimitteret. Rebelles inde Ticinen-
ses, qui Mediolanensium odio parati imperium
quodlibet accipere aliud, aduersus Metropolim caput
sibi aliquod quaerebant, assumit sibi, Comesque Pa-
piae appellatur praecclara interim apud Mediolanen-

Ses ipsos excusatione hac vsus, quòd nisi maturasset
 ipse urbem recipere eam, ventura fuisset in hostium
 potestatem, quodque magnus bellicus apparatus, &
 Pado anni armandae naues ibi haberentur; spes
 praecipua belli, quod ipse administrandum suscepisset.
 Proinde, ne offenderentur, subsidiaque imperij sui
 scirent esse quicquid Franciscus Sforcia possideret.
 Mala initia negotij etiam ad exitum infaulti, pessimeque
 Reip. consultum optimus quisque aurumabat tunc cum summa
 rei militaris ad hominem eum delata esset. Ac talibus quidem
 inijs offenso Senatu, multumque suspecta noui Imperatoris
 fide, consilium occulte initum est Mediolani, vt peterent
 potius ab Venetis pacem, quam vt bellum gererent eo ducce,
 qui rapiendo sibi, & intercipiendo quas ad Metropolim
 adiungere debuerat urbes, rudimenta ea infidi animi
 in ipso rerum aditu posuisset; missoque confestim
 in castra Venetorum Petro Cotta pacem & foedus petiere.
 Sed cum Veneti, aliàs etiam, vt ferebant, elusi spe pacis,
 legationem eam spreuissent, necessaria visa dissimulatio
 aduersus Sforciam, quem ceu priorum obliui, attentiore
 in posterum cura, per literas monuere, vt meminisset,
 tuendi Mediolanensium Imperij causa ipsũ esse ascitum;
 nihil erraturũ, si omis-
 sis in praesentia curis cupiditatibusque; alijs, rem eam
 ageret; Senatum populumque Mediolanensem, inter
 alia instituta quibus delectetur, grati animi famam
 erga benemeritos non parui aestimare, & posse praemia
 tribuere ei ob fidem, maiora, quam quae antea
 petere

pere ipse festinaret. Talia quaedam ad Sfortiam in castra perferri Senatus iusserat; vsque deinde dissimulatione ac lenitate eadem, speculatores apposuerunt ei, per quos, in singula fere momenta, quid ageret, quoue moueretur, scirent. Et ille, nondum, scilicet, maturum esse tempus existimans de promedi id quod penitus animo inclusum habebat; simul, & Senatus litteris, & conscientia admonente, videns, ob interceptam Papiam, tentataque in conditionibus alia, suspectum se esse Mediolani, sedulo agitabat, moliebaturque omnia, vt suspicionem ea se eximeret, faceretque fidem animi, nihil aliud, quam bene gestae Reipublicae laudem quaerentis. Opportune autem ad placandos Mediolanensium animos, probandamque Senatui fidem ei contigit, vt Derthonenses Ticinensium animo semper auersati Metropolim, urbis suae imperium ad ipsum deferre vellent, multumque rogarent, ne accipere grauaretur, quod abnuuit ille, & Praetorem tantummodo dedit. Cetera deinde nauiter ac prospere administrando, consulendo de rebus omnibus Senatum, & Senatusconsulta diligentissime exsequendo, ea aliquandiu erat integritatis fideique estimatione, vt, cum alia super aliam victoria nuntiarentur, obiurgarent amici eius alios, quod ipsum eiusmodi suspicionibus violassent. Cum enim praeter Veneri belli molem, Galli etiam, & Genuenses, & Sabaudiensis, & Estensis, ad occupanda Mediolanensis imperij varia loca, prout quique partem aliquam, vicinitatis illecebra, seu iure nonnullo petebant, vno

tempore coorti essent; tantis afflictam difficultatibus
Remp. fide illius ac virtute quotidie fieri meliorem
apparebat. Et referebat, vt dixi ille cuncta ad arbi-
trium auctoritatemq; Senatus, vt ne gloriae quidem
fructum, adeò non iam imperij partem quaerere sibi
vllam videretur. Foedus quin etiam inire cum Gal-
liae Rege, ne ea res apud Mediolanenses detrimento
sibi esset, recusauit, cum clandestina in id legatio in
castra ad ipsum venisset. Maioreque & illustriore me-
rito, Rainaldum ab Rege eodem cum exercitu mis-
sum ad tentandas Italiae res, iamque concitatis ad
rebellandum Alexandrinis, finitima inuadentem, re-
pressit precibus & auctoritate memorans in collo-
quio vetera patris sui merita erga Regem Gallum.
Placenciam inde, quae praesidio Venetorum teneba-
tur, oppugnare aggressus, quadraginta dierum labo-
re expugnat, urbemque eam inter exercitus vtriusque
iniurias vastatam pessime ac direptam, cõstituit Reip.
Mediolanensis nomine; solatia, & iura, & magistra-
tus dedit. In cuius quidem oppugnatione urbis, nihil
à scriptoribus praetermissum esse video, quò maior
fieri posset gloria, vel ducis ipsius, qui rem gessit, vel
Populi Senatusque Mediolanensis, cuius nomine ge-
sta est, vel etiam hostium ipsorum, qui, ne urbis eius
possessione deicerentur, pertulere ac tentauere, quic-
quid ex patientia, ingenijue mortalium, inter magnas
dimicationes, historia vnquam admirata est. Saguntum
profectò, siue Syracusarum, aut Tyri constantiam &
ærumnas, & hinc oppugnantium, hinc obsefforum
artes,

artes, & in vtraque parte multiplicem stragem Placentina ea res aequavit; neque ego repetendo descripta iam sedulo ab alijs certamen inane sumam, otiose abutar, cum vix ad ea sufficiam, quae nunc primum ex diuturno silentio in lucem hanc aliquam extrahuntur. Agentem ista Sforciam laudabant quidem Mediolanenses, decesseratque suspicio multorum animis capitalissima illa, quam ipse sibi, primis, ut demonstraui diebus, conciuerat; sed quod maiora erant ea, quae gessisset, rursus nimia gloria viri suspiciones aliquando hominum easdem irritabat. Nam, praeter secundas quotidie magis ad Placentiam res, & iam prope depulsos ea regione Venetos, foedusque cum Galliae Rege repudiatum; celebrabatur omnium sermone singulare illius ingenij acumen, quo consilia omnia Venetorum excepisset, atque elusisset, simulque robur animi, quo leuiter laceffitus vocasset ipsos ad vniuersae rei dimicationem, & illi pugnam detrectasse ferebantur. Nimum id esse gloriae videbatur, quae, ne sese altius efferret, frenandam eam, atque comprimendam, secretò in concilijs aiebant. Itaque, dum ille Placentiam in propinqua iam spe victoriae quateret maxime, & oppugnaret, misso alio in Alexandrinum agrum ab vrbis exercitu Mediolanenses, postquam infestum rursus ei agro Gallum, ita domuere, ut super vetera exempla, terribile atque funestissimum id infelices reliquiae referrent domum gloria etiam ipsi elati, victorem exercitum duci Derthonam iubent, eique vrbis, quod Metropolitanò

spretò.

spreto imperio principem sibi Sfortiam habere vo-
 luisset, pro ea temeritate malum, exitiumque ferri.
 Ne magna aliqua urbis eius calamitate sanciretur
 urbium etiam aliarum fides, idque exemplum in Sfor-
 ciae ipsius contumeliam statueretur, ea res obsticit,
 quod ciues illi, eiecto protinus quem Sforcia dederat
 Praetore, permisere sese Mediolanensium potestati, &
 in quaecunque pacta adigi ipsos visum fuit, iurauere.
 Minime fallebat Sforciam, telum in sui nominis fa-
 mam directum fuisse illud, nec Derthonensi populo,
 sed sibi vni terrorem cum esse ostentatum, admo-
 nitosque sic esse omnes, quantum opis & praesidij in
 tutela fideque ipsius collocatum habere possent. Sed
 multo magis angebat eum, quod parce, & lente
 cuncta ex urbe ad exercitum mittebantur, siue pecu-
 niam ad persoluenda stipendia militi, siue supple-
 mentum postulasset. Iam enim, praeter excitatos
 magnitudine rerum animos ad minuendam illius fa-
 mam, ne periculosa aliquando libertati foret, etiam
 noua spes erat exorta Senatui populoque, posse cum
 Venetis pacem fidam honestamque componi, quo-
 niam pars vtraque satis gloriae, satis etiam cladum,
 & pericula in posterum eadem haberet, qui bellorum
 omnium honestissimus est finis. Consilij huius au-
 thores in Senatu praecipui erant Picinini duo, Nico-
 lai filij, de cuius exitu demonstratum est, qui pater-
 narum inimicitiarum heredes remouere ab exercitu
 Sforciam conabantur. Atque hortantibus assidue eis,
 & sua sponte ad pacem inclinante Senatu, quae li-
 bertati

bertati non obstaret, missis vltro citroque legatis, res ita agitabatur, vt Senatu Populoque Mediolanensi cum Senatu Populoque Veneto pax esset; de praesenti statu & conditione partium nihil mutaretur. Haec ita pepigerant legati. Sed quia rata esse non poterant, nisi prius in Concilio octingentorum relata, comprobataque essent, admonitus Sforcia per homines sibi fidos, quos Mediolani habebat, id spatij habuit ad plebem concitandam, vt coaspernata pacem, seditioso clamore bellum potius iuberet. Iactabant eius fautores, pacem fore ignominiosam, infidam, quouis bello tristiolem, & alia, quae per literas, aut nuntios identidem ipse inculcabat tamquam Reip. cura; suberat dolus, vt exercitum ipse haberet, & pars vtraque bello fatigaretur, donec ad rem suo nomine gerendam matura omnia essent. Nam vbi Venetorum exercitum agro Mediolanensi submouisset, statuerat, vel occasione arrepta aliqua, vel si nulla daretur, ipso adoptionis & matrimonij iure conuertere ad recuperandum soceri imperium eadem arma, quae ad defendendam Reip. nostrae libertatem accepisset. Neque me fugit, eos, qui Sforciae huius gesta litteris mandauere, & propria cura res eius amplexi sunt, eleuare ista verbis, culpamque conferre omnem in Mediolanenses ipsos, qui, tum dissidijs inter se aeternis, tum implacabili erga Sforciam inuidia, perpetuaque insectatione gloriae eius, coegerint ipsum consulere suae salutis, & sibi filijsque suis debitam imperij huius hereditatem vindicare. Sed com-

mune

munere quidem hoc est omnium, qui res alicuius, siue Principis, siue populi, gratia rogatuque aliquo sumptu excolendas, ut cuncta, quae minuunt laudem, aut artificiose declinent, aut in contrarium vertant. Alioqui, sine fructu laborem, & fortasse damnum habebunt. Mihi, non excolere, sed narrare vetera haec sponte aggresso, procul abest ea cura, semperque vera speciosis antefereamus. Magnus utique bellator Franciscus Sforcia, & omni reliqua laude par antiquis non caruit eo certe vitio mutabilis animi, quocumque spes aliqua fortunae augendae, & dominandi cupiditas vocaret. Etiam sub socero Philippo Maria, tum antequam gener esset, tum post deductam maxime Blancam, nunc ab ipso ad Venetos, & Florentinos, nunc à Florentinis & Venetis ad ipsum deficiuerat haud alia inconstantia & leuitate, quam sine qua ipsam constantiae virtutem, nudam atque inutilem venatrix suorum commodorum regia prudentia appellat. Iam inde à Sforcia patre didicerat has artes, atque mobilitatem transferenda fidei prudentiaeque in partem eam, ubi maiora momenta utilitatum starent. Nam etiam ille Neapolitanis antea bellis, nunc ab Ludouico Andegauensi contra Reginam, nunc ab Regina contra Alfonso steterat; & variatis tamen ita vicibus blandissimi scriptores officij nomen imponere potuerunt. Quae porro iura successionis, quamue adoptionem, quodue matrimonium aduersus Mediolanensium libertatem iactare poterat gener & filius soceri, & patris, cuius maiores haud

haud

haud

haud alio, quàm communi nobiscum iure nati in hac patria erant? Nimirum etiam ipse sibi conscius, quam tenui filo sua haec iura attinerentur, premebat alto silentio rem totã, neque verbum adhuc ei excidebat vllum, vnde suspicandi minima ansa praebetur, nisi multa, quae occulte agebat, intimos animi sensus, ipso non suspicante prodidissent apud eos, qui nunquam desierant ad consilia illius speculanda intenti esse. Postea, maturis iam negotijs, res simul & verba, & repentina armorum conuersio, translatique exercitus, & assumpti ad Metropolim inuadendam hostes iidem, in quos pro Metropoli pugnarat, omnia vno tempore, sicuti demonstrabitur, & comprobare quas dixi suspiciones, & nimium serò coarctare alios, qui vanum esse timorem volebant. Nunc Sforcia, postquam arte conatuq; omni peruicerat, vtspreta, quae iam conuenerat pace, Senatus bellum decerneret, simulatione quidem, & cunctarum apparatu rerum intentus erat in quamcumque partem, siue Senatus censuisset, siue laceissent hostes; animi verò sui curis & occultissimo sensu spectabat urbem Brixiam, de qua vrbe in conditionibus erat, vt si eam ipse cepisset, potiretur, haberetq; propriam & suam. Nondum id quidem suspicione vlla attigerant Patres sed paulo post mirifice attigere; ac nihil aliud in praesentia cogitantes, quàm vt decreto bello nulli rei deessent, quae ad profligandos vndique Venetos, imperiumq; constituendum, pertineret, de Sforciae ipsius fide animoq; erga Remp. ita iudicaturi erant, si-

D d d d cuti

cuti ille deinceps egisset. Is nunc castra ad Cremonam habebat, acceptoque Senatusconsulto, quo bellum ei sicut antea decernebatur, ad Cassanum cum exercitu proficiscitur, quam arcem, quodque municipium Ecclesiastici iuris olim, postea, ab dominatu altero sicuti pleraque alia possessum, Veneti hoc tempore habebant. Eam recuperari arcem permagni ad rerum summam intererat, obtinente Veneto Laudem quoque Pompeiam, & Meltium & Treullium, & pleraque agri Cremonensis itaut neque supportari commeatus in maiora castra, neque nuntij sine discrimine commere possent. Mittitur illuc ab Senatu etiam Astor Faentinus cum ijs copijs, quibus ipse praecerat. Huic mandatum, vt pontem in Abdua faceret, qua Cremonensem agrum alluit flumen. Facto ponte coniunctisq; exercitibus, decem dierum oppugnatione recuperare arcem. Eo terrore, qui Meltium obtinebant, aufugerunt. Pandinum inde & Ripalta, & quae trans Abduam castella praesidijs Venetorum tenebantur, capta, & direpta, vel si expedierat, munita & infessa. Veneti ad defendenda ista segniores, Cremonam vi tota aggressuri erant; iamq; inducta in id classe Padus inhorruerat. Tunc scilicet Sforciae cura rerum suarum pugnare cum auctoritate Senatus; & non solum tuendae Cremonae studium, quam urbem ei Philippus Maria assignarat, sed etiam Brixiae adipiscendae cupiditas, quam sibi pepigerat in conditionibus, certamen cum publico consensu ducumque aliorum sententia ad rerum summam

nam inutile iniecerunt. Volebat Sforcia, imposito
 protinus in naues milite, totis aggredi viribus Vene-
 torum classem, crebrisq; super ea re concilijs, gerendi
 bellirationem hanc proponebat, vt defensâ prius
 Cremonâ, ad Brixiam ducerent oppugnandam; ita
 fore, vt Veneti transgressu Ollij amnis prohiberetur,
 & bellum in suis finibus haberent. Patres censebant,
 Laudem Pompeiam, primum omnium esse recupe-
 randam; & cognita per legatos Sforciae sententia,
 misere in castra, Oldratum Lampugnanum, &
 Ioannem Casatum, qui voluntatem Senatus ex-
 ponerent, atq; hortarentur magnopere Sfor-
 ciam, ne ei rei quicquam praeuertisse vellet. Il-
 le tamen in sententia sua perstabat, & quamquam
 consensu ducum praefectorumq; aliorum vi-
 ctus, castra in Laudensem agrum mouisset, Cre-
 monam tamen & Brixiam nisi collocatas in tuto
 haberet, nihil praeterea satis quieto animo aggressu-
 rus esse videbatur. Opportuna consilijs cupiditatiq;
 eius fuit repentina Venetorum impressio, qui duce
 Micheleto quodam transgressi Ollium, castella, quae
 nostri capta habebant, inuasere. Casum scilicet pe-
 riculumque iactando illud Sforcia denique peruicit,
 vt potestas sibi ab Senatu permitteretur agendi quic-
 quid e Rep. esse duxisset; eiusque potestatis & arbitrij
 tempus ita definiuere; donec Patres aliud censuissent.
 Addidere collegam ei Gulielmum Montisferrati De-
 marchum, qui, cum in Venetorum castris diu milita-
 set, hoc tempore stipendia ea reliquerat, & in parte

nunc altera quaerere bona fide virtuti locum videbatur. Huic Gulielmo partem exercitus eam attribuerunt, quae Barptolemaeo Bergomensis attributa prius fuerat, & honoris militiaeque gradum dedere eundem, quem ille tenuisset. Namq; Barptolemaeus ille notus adhuc, & per feria, per iocos ob militarem glotiam simul & cognomenti ludum frequens in ore famæ, cū sub Philippo Maria ordines duxisset, dein ab eo, Modœtensi arci, crimine, siue suspitione interposita traditus in custodiam, suspensio e pinnis sine delapsus ad ima aufugisset, mortuo principe, ab Senatu restitutus honori pristino, nunc refugerat ad Venetos abieratq; nocturnus e castris. In huius locum igitur Patres suffecere quem dixi Gulielmum, ac præter eum additi speculatores simul adiutoresq; Sfortiae clari bello viri præfectiq; singularum turmarum, Carolus Gonzaga, Christophorus Torellus, & Antonius Intimiliensis, quorum vltimus ad Melitium in praesidio fuerat, & arce illic amissa profugus ad Mediolanenses, tanto magis fidus sperabatur, aduersus eos vnde abiisset. Accepta igitur in hunc modum potestate & arbitrio gerendarum rerum, & copijs ducibusque auctus hisce, simul potestatis & arbitrij vincula custodesque fidei circa se plures habens Sforcia, quàm fortasse vellet, ad Cremonam pergit ire tuendam ab Venetae classis incursu, scilicet, vt ab ea parte firmatis opibus suis, opes deinde, Brixia etiam receptâ, maiores, iisdem Reipub. armis tentaret, imperiumque ita trium magnarum

magnarum urbium, iam inde a principio captâ sibi
Papâ, habiturus erat. Veneta classis septuaginta
navium Andrea Quirino duce constitit iuxta
Casalensem arcem in eodem Padi amnis brachio,
quod Metropolim affixerat ingenti clade sub Phi-
lippo Maria, nomenq; inde acceperat. Terrestrem
alium exercitum sub Micheletto ad septimum inde
miliare Veneti habebant. Sforzia, faucibus brachii
obfessis, oppositoq; ibi Ticinensium navium praesi-
dio, nequid effugij in medio discrimine hostibus pa-
teret, ab altera parte bombardas in hostilem classem
praecipuae magnitudinis dirigi quatuor iubet, iâ-
busque continuis & ferrea procella Venetas naues
euerberari. Quod cum absque vlla intermissione
fieret, adfuit etiam rebus ita dispositis ea quae belli
fortuna dicitur. Nam eodem tempore, & contortae
e bombardis pilae ingentes cum foeda hominum la-
ceratione, navium latera compagesque perfringe-
bant, & collocatae in faucibus triremes, concitato
repente cursu, Venetorum ex transverso superuenere
navigijs, unde crebra in nostros tela accidebant, pro-
spera q; pugna sagittarios inhibuere; & nullum inte-
rea subsidium ab Micheletto aderat; quae res haud
dubie victoriam sine multo sanguine nostris dedit,
despondente animos Quirino, cum nondum plane
victus esset. Is enim, ubi iniqua simul omnia classi,
& ex terrestribus castris auxilij spem elusam vidit,
subductâ raptim in vicinam arcem turbâ, quae su-
perfuerat, navibus iniici flammâs iubet, ne integrae

in manus hostium peruenirent. Et Sforcia, cum à
 praeda continere militem nequireret, veritus, ne super-
 ueniente Micheleto, manus impeditae corrumpere
 victoriam, quae iam parta erat, latius porro spargi
 flammam eadem iubet, totamque classem incendio
 inuoluit, quam Veneri, haud sine gemitu, suo simul &
 hostili igne flagrantem ex arce conspexere. Nuntiata
 ea victoria Mediolanum, perinde ac debebat, laeta
 Patribus populoque fuit, honosque etiam ob rem
 bene gestam Deo immortalis habitus est, & Sanctissi-
 ma Virgo Deipara praefes custosque urbis adorata,
 pretiosissimis donis, quorum nonnulla adhuc manent
 in Templo maximo, & sub eius titulo victoriae ab
 ædituis indicantur. Ceterum, debilitatis ea nauali
 clade hostium viribus, magnoque periculo liberata
 Metropoli, censuere Patres modum imponendum ci-
 uis potestati, quam Sforciae summam liberamque per-
 misissent, ac de ea re Senatusconsultum factum est in
 hac verba. Quod Senatus Populusque Mediolanensis
 Francisco Sforciae, rei bellicae arbitrium dedit, ut is
 ageret quicquid e Rep. esse censuisset, eiq; arbitrio
 tempus quodcumque visum esset, finiuit; nunc idem Se-
 natus Populusque de ea re ita censet; uti Franciscus
 Sforcia, de rebus omnibus quas hoc bello acturus
 erit ad Senatum referat, sententiamque Patrum, &
 populi iussa expectet. Adiecere Senatusconsulto,
 ut primo quoque tempore trajiceret cum exercitu
 flumen Abduam recuperandi Carauagij causa, Ca-
 rauagio recepto, duceret ad Laudem Pompeiam, &

ei quoq; vrbi recuperandae infisteret. Haec Senatus
auctoritas per scripta & missa protinus in castra ad
Sforciam, animum eius metu simul & indignatione
confudit. Irascebatur, quia coarctatam sibi potesta-
tem, imperiumq; inhibitu[m] videbat eo maxime tem-
pore, quo potius ad rei gestae praemium laxari am-
plificarique omnia par esset: timebat, ne detecta iam
& nudata omni sua mente consilioque Brixiam eun-
di, Patres ad rem eam impediendam atque distur-
bandam cuncta semper excogitaturi essent, eo que
nunc inhibuissent imperium. Iam enim ipse statuerat
ad Brixiam ire oppugnandam, & concilio super ea
re habito, facile omnibus in eandem sententiam ad-
ductis, castra illuc mouebantur, cum redditae sunt ei
litterae Senatus, quae circumscripta sicut dixi pote-
state, ad Caruagium ducem agmenque auertebant.
Sforcia enim uero, dissimulans adhuc alte animi sui
destinata & dolorem, ad Caruagium, sicuti impe-
ratum erat, iter couerit, nihil aliud, ut fertur effatus,
quam obediendum esse illis, quorum periculo res ge-
reretur. Quinto die quam ex Cremonensi agro mo-
uerat, disposito locis idoneis exercitu id oppugnare
castellum aggressus, ipse, & ceteri Mediolanensium
duces, quibus iam aequatum fere imperium erat, in
omnia incidere pericula & difficultates, quae in ma-
gnae cuiuslibet oppugnatione vrbis perferendae
essent. Nam, & natura locus erat ad mille fere passus
ob fossas & aquarum diuortia prope inuis equiti,
& olim addita munimenta manu, nouis auxerant ar-
cibus

tibus hostes; hique, pridie, quàm noster exercitus còduceretur, magnis agminibus antecesserant, & maiore etiam postea numero superuenerunt. Itaque, per mensis fere spatium, quotidiana praelia inter exercitum vtrumq; comittebantur, & auersa omni ab arce moenibusque contentione, per agros & finitima loca dimicabatur, dum, aut qui iam praeuenerant, prohibent accessu nostros, aut nostri reliqua succedentia agmina hostium arcere volunt. Ac sicuti eadem in vtraque parte virtus, idemque fere numerus, & potiundi loci cura eadem erat, ita etiam neutri vnquam ex acie laeti abibant. Quinto demum & trigesimo die, postquam còventum fuerat, cum Mediolanenses circumuallatum aegerrime oppidum haberent, ac promouendo ad moenia gradum, singulas prope glebas multo suo & hostium sanguine infecissent, atque tunc etiam exercitus vterque pari defixus metu haereret, verentibus nostris, ne oppugnationi intentos Veneti à tergo aggrederentur, Veneto summae rei discrimen vitante; principium vincendi nostris inde est datum, vnde sub victoriae specie clades magna parabatur, nisi casus alius, vt plerumque in bello solent inania & fortuita, ex manifesto periculo salutem gloriamque dedisset. Praeerat archi Mathaeus Capuanus eo animo vir, vt neque constantiae ac fidei anteferreret quicquam, neq; inanem eius gloriae titulum, suo aliorumq; exitio quaesitum velleret. Is, vbi circumfusum oppido Mediolanensem exercitum, & necessitatem adesse vltimam vidit, exi-

stimans

stimans dedita quàm capta arce, meliorem fore suam,
 & praesidij conditionem, siue fortasse etiam nihil
 adhuc tale agitans, sed moram imminenti irruptioni
 nonnullam quærens, misso ad Sforciam caduceato-
 re, institit cum eo agere de conditionibus tradendae
 arcis, iamq; ea res, & in principum concilio, & totis
 castris magnopere agitabatur. Interea, Venetorum
 duces, qui festum pugnando exercitum habebant
 & in collem castra contulerant, habito concilio de
 summa rerum, dictisque sententijs, quid quisque op-
 timum factu censeret, sententias eas, ad Senatum su-
 um ordine perscribunt; indicant praesentem belli sta-
 tum, exhaustas iam in unius castelli defensione pu-
 gnas, & factam prope deditioem; abscedi inde agiq;
 alia, an subsidium ferri inclusis, & in rei non magnae
 discrimine periclitari vniuersos velint, ceu parati in-
 vnumque consulunt. Senatores Veneti, pensatis, quae
 referrebatur, breui consultatione, retinendum esse Ca-
 rauagium statuunt, idque propere ad exercitum per-
 fertur. Vna erat via, per quam penetrari ad castra
 Mediolanensium posset, obscuro per silvas tramite,
 quem Tibertus Brandolinus ducum illorum vnus
 sumpto lixae habitu speculatum egressus notarat.
 Cetera, regionis situ, fossisque & munimentis obie-
 ctis, intercisa, abrupta, impedita, multiplex certamen
 antequam peruentum foret ad castra denuntiabant.
 Igitur accepto sui Senatus mandato hostes hora diei
 ferme nona, cum nostri maxime intenti in spem re-
 cipiendae per deditioem arcis cetera remissius

Ecccc iam

iam languidiusque agerent, digressi colle abdunt sese in silvas, & citato agmine properant ad opem obsessis quantocunq; suo periculo ferendam. Et periculum statim perniciemq; inuenere, latam fossam, quam per vetera bella excavatam atq; perductam toto quantum spatio in latum silua porrigebatur, Sforcia collocatis per interualla militibus cōmunerat, passimue stramento materiâque iniectâ aliâ occaecarat, & stipites alicubi transuersosque cancellos defixerat, ut si hostis transire illac cōaretur, praecipitatus, implicitusque aut reiectus irritum id siue etiam funestum inceptum haberet. Neque speculator Brandolinus ea munimenta viderat, suspicione fortasse aliqua & metu, siue reperti tramitis laetitia properare ad suos regressus. Tumultuosi nuntij de hostium aduentu in nostra castra perferuntur, rapitque illuc Sforcia subito agmen; vbi, tum opportunitate fossæ, tum virtute militum deprehensos ad iniqua Venetos fudere Mediolanenses ac caecidere, partâ victoriâ, quæ plena exemplorum etiam in hoste miserabilium fuit. Nam laqueis irretiti illis, captique & vincti trucidabantur etiam honeste moriendi facultate adempta, cum inter cippos, & angustias, non dirigere ictus, non ad pugnam assurgere vllam possent. Et nostri impune sese per adstructos sua manu ponticulos, ac per vada nota insinuabant. Haec prima procella pugnae fuit, quam caedis potius nomine appellauere scriptores nec amicissimi Mediolanensium rebus, & inter pericula consiliaque eadem versati, Caedes inde
alia

alia facta fugientium est, ex qua qui euasere, armis, equisque relictis, alius aliò dilapsi, quacunq; perueniant, minime dubium fecere, quin res Veneta perdita eo die, & in perpetuum afflicta esset. Captis etiam direptisque castris, & oppido recepto, opima spolia & nobiles captiui, Aluisio Bossio & Petro Cottæ ducendi Mediolanum traduntur. Legati hi populi Mediolanensis in exercitu erant, nec sine eorum auctoritate quicquam fiebat. Urbem inire triumphantes albenibus vecti equis, purpura auroq; conspicui: parentem vrbis Ambrosium, quomodo effigies ea pontificali habitu e serico auroque gemmis internitentibus publico sumptu contexta, & per tot annos refecta semper manet, insidentes equis publici serui pari incessu hinc inde sustentantis rite ac decore praeferebant. Captiuorum longus ordo antecedebat: Dandulus & Rangonus, capita nuper exercitus Veneti, nunc legatorum nostrorum fere calones, hic Cottæ, ille Bossio iuxta pedes ducebantur. Ea magnæ fortunæ ludibria fert bellum. Sed, & vexilla D. Marci, haud equidem crediderim honoris causa pompæ huic immiscebantur. Ciuitas tota, non præsentis modò plausu, quibusue alijs lætitiæ declaratur victoriam triumphumque excepit; verùm etiam secutis diebus adorabant gregatim ad omnia templa Numen ob eius victoriæ beneficium, idque more humano prope remunerantes, templa ipsa magnifice excolebant, & semper famelicam inter belli mala plebem, remittendo publice tributa, priuatim nutri-

endo, miserrimum quemque cogebant agnoscere ac venerari Celestem potentiam, quæ, conseruata Rep. imperioque Metropolitano infimis etiam benigne faceret eorum manu, qui Remp. imperiumque tenerent. Verum, haec denique victoria noui belli principium fuit, cuius exitu Resp. Mediolanensium erat subiugum reditura idem, quod Vicecomitum sine excussum putabant; atque extracta in hanc diem dissimulatione magni voti Fraciscus Sforcia, diuq; cum multarum rerum necessitate luctatus, tandem perinaciâ suâ, & injurijs, vt ferunt, alienis, ad id venit, vt hostium nostrorû aperte amicus, & infensissimus ipse nobis hostis fieret, donec, & victor & princeps, sublata odiorû causâ, paternae etiam in nos curaegloriam quaereret postea beneficijs & miti iustoque imperio etiam assequeretur. Offensiones autem & iniuriae, vel causae, quae titulum aliquem praebuere honestum volenti iam Sforciae deficere ad hostes, & bello persequi aperto imperium cuius tuendi causa exercitum armaque acceperat, partim ex conditione rerum ortae, partim in historiam inductae à nonnullis, qui Sforciarum nomini, postquam ea domus urbem tenebat, fauerunt, hae quidem feruntur. Recepto Carauagio, defensâ Cremonâ, rebusque alijs prospere gestis, rem atq; consilium de Brixia inuadenda nunquam omissum, saepe dilatum illud exsequi Sforcia tandem hoc tempore volebat. Si publico concilio, & semper ad id molesta sibi Senatus autoritate impediretur, statuerat vi sua, & eo quem habebat exercitu

citu

aitu rem vtcunque aggredi. Quia studia militum, & populi fauorem nominis gloria conciliatum, & multiplici clade conterritos Venetos haberet, nunquam tam opportunum fore tempus agendi aliquid, fortunamque tentandi suspicabatur. Stimulabat etiam assidue animum & precibus, & querelis, paternae fortunae desiderio multum anxia & importuna vxor. Non se ei traditam, vt laboris semper, & exsilij stipendorumq; alienorum comes foret. Alios etiam fuisse, splendidos & opulentos, e quibus Pater asciscere sibi generum posset; proutulisse ceteris vnum, de cuius virtute atq; animo ipem haberet, posse ab eo imperium retineri postquam ipse decessisset. Proinde accingeretur ad opus, quod, & fama communis ab eo, & mortui soceri manes, & nati iam, postue suscipiendi liberi postularent, ne scilicet, imperium, quod maternus auus ipsis maximum amplissimumque relinquere voluisset, Patris incuriam ereptum sibi cum dolore & ignominia visuri essent, dedecusque & damnum illud ad nepotes ipsis suos pudenda successione transmisluri. Talia repetetem animo Sforcia n, cum nondum ab Carauagio castra mouisset, legati Mediolanensium, Theodorus Bossius, & Francischinus Castillioneus adeunt; laudant verbis amplissimis virtutem fidemque hominis, eique Senatus nomine gratias agunt, quod rem adhuc ita gesserit, vt ipsius opera Remp. breui fore constituta, quieturos hostes, aut bellum domi habituros sperare debeant. Perenti deinde vt ad Brixianae expeditionis facultatem libera sibi cuncta permitterentur, in praesentia quidem annuerunt,

nuerunt,

nuerunt; postea verò delata re ad Senatum, censuerunt non esse e Rep. Sforciam vrbis eius potiri, atque ad eam rem impediendam sedulo comparanda esse omnia decreuerunt: Id cum sua sponte patres fecerant prouidentia & metu, ne nimium Sforcia inualesceret, tum verò Picininus vterque, aemulatione in ipsum, & iam inueteratâ apud Senatum gratiâ, iactando sapius eadem adduxerant omneis in eam sententiam, vt crederent, ne quicquam pro Rep. & libertate fore dimicatum, si vrbibus vt coepisset, occupandis tantopere crescere Sforciam paterentur. Pestiferum eum in sinu anguem nutrire sibi Mediolanenses, nec sensuros antequam bellua facta inexsuperabilis foret. Ita, & prouisu suo, & consilijs instincti alienis ab Veneto Brixiam teneri, quàm succedere ibi Sforciae quicquam malebant. Monebatur etiam ipse literis amicorum, missas ab Senatu Mediolanensi fuisse literas ad principes eius vrbis, quibus eos hortarentur, vt in fide Venetorum manerent; cum Senatu Republicaque ea breui pacata omnia Mediolanensibus fore. Et literas eodem tempore alias repererat Erasmi Triultij ad Vitalianum Borromaeum scriptas in hanc sententiam; dandam esse operam, vt copiarum duces qui in exercitu praestantissimi essent, cum suo quisque milite in varia loca dimitterentur, ne Sforcia Brixiam obsidere posset. Mox Antonius Porrus missus ab Senatu in castra, quae iam moenibus vrbis Brixiae subijciebantur, mandata haec ferebat. Dimidi exercitum oportere, vt pars in Veronenses duceretur,

pars

pars ad Laudem Pompejam tenderet. Urbium earum alteram infensam esse Venetorum imperio, nostrorūq. armorum adspectu facile illinc defecturam, altera nisi quamprimum recepta vindicataque esset, perniciosi nimium exempli ignominiam eam fore, cum adeo vicina Metropoli ciuitas ab hoste teneretur. Haec ab Senatu mandata Porrus exponebat, & Sforcia eodem tempore iam penitus alienato à Mediolanensibus animo, speq; adipiscendi imperij vehementius raptā, ob id ipsum agitandae cum Venetis paci intentus erat adiutoribus atque internuntijs Pasquale Malpiero Veneto, & Angelo Simoneta Mediolanensi. Per horum vtrumq; sermones commebant, summaque conditionum erat, vt quae castella & arces & vrbes Philippus Maria mortis suae tempore tenuisset, ea omnia vnà cum Metropoli, finito bello, Sforciae huic cederent; Bergomum & Brixiam & Abduanae glareae castella praeter Pandinum obtinerent Veneti; per eos, quatuor millia equitum, bis mille pedites, quatuordecim millia florenorum nummum in menses singulos gerendo bello suppeditarentur. Quae, per eos, quos dixi interpretes cum pacta iam & secreto constituta essent, credibile est, haud magnopere commotum fuisse Sforciam eiusmodi mandatis, licet alioqui nihil magis alienum inimicumue rationibus ipsius obijci potuisset. Itaque, ne verbis quidem magnopere cum legato Metropolitano iurgatus, postquam is e castris abiit, apta ad id quod moliebatur oratione pertentatis militum animis,

mis,

mis, qui apud eum reliqui erant, ubi ex faustis clamoribus alacres, & sibi ad omnia paratos sensit, postridie concionis eius, ex Brixienfi per Soncinatam agrum transire in Laudenses parabat. Ciuitas interim ista dederat sese Mediolanensibus, & vehementer ea res initio noui belli Sforciae animum turbauit. Nam ab ea parte statuerat irrumperere in Mediolanensem agrum, & aucto mox Venetorum auxilijs exercitu succedere vi tota ad moenia vrbs. Hanc Sforciae defectionem Mediolanum nuntiauerunt primi, Petrus Cotta & Aluisius Bossius, qui Reip. legati exercitum assidue sequebantur. Hi, concioni, quam ad milites ille habuisset interfuerant; & ubi aduersus obfirmatum eius animum aliquandiu frustra tetendere, conscensus prope equis ad Senatum rem eam atrocem detulere. Non tamen ab Senatu quicquam temere tumultuoseue actum. Sed missis ad Sforciam Bartolomeo Morono, & Iacobo Cusano dici haec iubent. Valde miratos esse ipsos, quod tantis Reip. beneficijs ornatus, arma in ipsam conuertere sustinuisset; si nonnullorum facta displicuissent, essetque aliqua re fortasse offensus, debuisset porius ostendere Senatu quid doleret; & Senatum, pro sua aequitate, atque etiam pro ea opinione quam de ipsius virtute habuerit, cognita causa fuisse satisfacturum. Nunc quoque si velit exponere alienati sui animi causas, aequitatem Senatu manere eandem, & daturus esse operam, ut sicuti ad nullum belli discrimen esse segnes velint, ita ad communis vitae officia mites & iustigratique
repe.

reperiantur. Sin ille hostili erga Remp. animo perseuerare malit, aequum esse saltem, vt militares copiae Mediolanensium, quas secum trahat, earumq; duces Senatui restituantur; neq; enim arma illis in patriam data esse. Sforcia respondit, nimium fuisse graua & intoleranda, quæ per totum illud belli administrandi tempus ab Senatu simul & populo Mediolanensi pertulisset, tempusq; adesse vltionis, quemadmodum etiam videre ipsos arbitraretur. Sed velle se quidem iniuriarum sponte obliuisci omnium, neque quicquam acturum impotenti animo, quamquam & praesenti occasione, & dolore præteritorum stimuletur; imperium verò quod Philippi Mariae Vicecomitis fuerit, velle sibi vindicare, ne ingratus erga socerum, impius in liberos vxoremque suam, & matrimonio proleque indignus habitus ea cum damno dedecus ignominiamque ferat. Quod ad militares copias earumque ductores attineat, neminem se morari, quominus abierint e vestigio omneis quicunque Mediolanensium adsint; nec plura in eo colloquio dicta. Bellum, quod cum Francisco Sforcia pro sua libertate infeliciter gessere Mediolanenses in hac habuit, ex quo bello victori imperium, victæ ciuitati fortuna eadem parabatur qua sese per Philippi Mariae mortem esse liberatam sperarat. Quis autem postea crederet, Sforciam ipsum, fundato per victoriam hanc principatu, si post mortis tempora posset suorum interesse casibus, longe præoptaturum huic esse principatui res priuatas, & eum vtique statum, vnde spes

Fffff moliri

moliri tantas coepisset? Neque enim ad sextum heredem peruentura res erat; & quinque successiones, per quas id imperium iuit, totidem tragica exempla dominantium fuere. Interfectus ob scelera & mores impudicos Galeatius coniuratione nobilium, inspe- ctante populo, ante aram, inter sacra; mox vrbs infe- cta coniuratorum cædibus: sauitia Ludouici in filios & patrum dolo datum Ioanni Galeatio venenum: ipse captus à Gallis & intra carcerem moerore absum- ptus: filiorum huius, alter similitudine paterni exitus, alter orbâ senectâ domum imperiumque perdidere. Tanti fuerat capi urbem Mediolanum, & totam a Fran- cisco patre inter dolos, arma, eadesque vitam agi. Cùm Sforcia bellum aperte Mediolanensibus, & verbis, & re ipsa denuntiauisset, idque Mediola- nenses, vt demonstraui accepissent, neutri partis satis esse virium videbatur aduersus imminens discrimen, quod alteris seruitutem, alteri exitium vltimum, & sempiternam ex temeritate labem minitabatur, si clades accepta esset. Perterruerant enim etiam par- tem utramque statim factæ fortissimorum virorum transitiones & ab Senatu ad Sforciam, & ab Sforcia ad Senatum, prout quosque ad tanti discriminis initia obiecta spes metusue animo, siue, prout affectus olim animus tenuerat nunc aut alienarat. Carolus Gon- zaga cum mille ducentis equitibus, peditibus quin- gentis, deserto Sforcia, se se ad causam Senatus ad- iungendo fecerat alijs etiam exemplum castra ea re- linquendi. Marchio Gulielmus & Aluisius Vermus,

&

& Sanfeuerinates treis, Remp. Senatumque deseruerunt. Ex urbibus etiam ipsis aliquae nutabant accipiti in hanc illamque partem fide; Placentiniq; nihil cunctati erant, quominus dederent sese Sforciae, & sequi fortunam illius mallent. Ob haec, aucta cura partibus, maiorque effecta sollicitudo, quam quanta fortasse praesentem statum, & suas per se vires aestimantibus initio fuisset. Sforcia, praeter exercitum, quem habebat, quemue ab Venetis ex foedere expectabat, Florentinorum etiam, Genuensiumque & principum aliorum, quos Reip. Mediolanensium esse infensos sciret, tentauit quaesivisque auxilia, quae principes gentisuecae vltro etiam mittere paratae erant. Mediolanenses, non iam Sforciae, sed auxiliorum, quae ad eum vndique mittebantur, vim famamque metuentes, auxilia etiam ipsi externa quaesiuere missis legatis ad Federicum Caesarem, ad Regem Galliae Carolum, & Neapolim ad Alphonsum Regem. Aluisius quoque Sabaudiensis & Burgundiae Dux Philippus rogati, ne vrbi antiquissimae aduersus finitimorum conspirationem, & aduersus vnus noui hominis conflata ex alieno potentiam deesse vellent. Dum aguntur, tentanturque ista, visum est Patribus, vt Sforciae rursus animum tentarent, si forte ad conditionem aliquam honestam adduci ille posset, qua conditione, salua Rep. positis armis tanto supersederetur bello, quantum initia illa minitabantur. Facto hoc senatusconsulto, decretaq; legatione, proficiscuntur ad Sforciam in castra, Iaco-

bus Cufanus, Georgius Lampugnanus, Thomas Moronus, & Petrus Cotta iam assueti homines eiusmodi colloquijs, & quibus cum libenter congregari Sforciam animaduersum erat. Benigne in colloquium admissi dixerunt eadem, quae prior etiam legatio attulerat, de optima voluntate Senatus erga eum publicoque studio corrigendi si quid paucorum offendisset iniuria; & quemadmodum magnopere mirati patres essent, quod ex amico ac defensore Reip. hostis repente extitisset: si maneret in sententia, redderet saltem milites. Responsum tulere simile priori, nisi quod rei acerbitas, sono magis quam sensu verborum, & flexo nonnihil ad placabilitatem ore mitigabatur. Hi legati cum domum redirent excepti à militum globo & spoliati sunt, quo latrocinio pronus ad Sforciam delato, profectus ipse e castris, affines ei flagitio omnes comprehendi & suspendi iussit; suspendebanturque etiam innocui suspitione tantummodo obiecta aliqua, donec legati ipsi impetrauerunt ab Sforcia, ut finis fieret. Misit deinde suam etiam ipse legationem, cuius princeps Benedictus quidam Reguardatus fuit. Is, dato Senatu, cum accurata oratione persuadere conaretur, ut dederent Sforciae urbem, eumque in Philippi Mariae locum acciperent, non deteriorem socero generum, adoptionis iure filium, patrem legitimae proles sanguinisque veri Vicecomitem, si successionis ordo spectaretur, una cum uxore heredem, si vellent eligere, ob merita non indignum, & imperare assuetum, & obedire, neque
amplius

amplius sibi quicquam in libera vrbe vindicaturum, quam vt Reip. caput esset; haec & alia cum diceret vir disertus, multorum haud dubie commouerat animos, quibus finiendarum patriae calamitatum exitus ille probabatur. Sed statim vbi legatus ille perorat, Georgius Lampugnanius suggestu conscenso eodem, omnia, quae pro libertate aduersus dominantes dici possunt, tanta vi & ardore vultus animique dixit, vt commutatis repente omnium animis multa grauissima probra in Sforciam iacerentur, atque praescriberetur etiam breuis hora legato, intra quam Mediolanensium exisse finibus deberet. Bellum inde summa vi, non parabatur vtrinque solum, sed etiam gerebatur. Patres, vocatis in Curiam Francisco Picinino, & Carolo Gonzaga, quorum ille, ob veteres inimicitias spem suae salutis in Sforciae exitio collocabat, hic periculorum initio statim eum deseruerat aufugeratque Mediolanum, alterum creant exercituum, imperatorem, alteri tribunatum plebis per suffragia populi conciliant; extollunt vtrumque laudibus ob nauatam ad eam diem Reip. operam, & magnopere hortantur, vt aduersus communem hostem pergant tueri urbem, quam sibi per mutua beneficia patriam fecissent. Conscripto deinde passim milite, & habito per urbem ipsam delectu firmantur arces & oppida omnia praesidijs: Modoetia & Nouaria & Nouocomum Comiti cuidam Intimiliensi tuenda attribuuntur. Majorem exercitum validioremque Sforcia; confluentibus ad eum vndique auxilijs & manentibus

bus

bus in ea parte veteranis habebat: Diuise multifariam eo exercitu, velut excursionem capit vna Derthonam, Nouariam, Vigleuanum, Briaataeos omnes, & finitimos huic genti Latij lacus accolas, castellaque complura, Olegium, Trecatum, Caiatum, Romagnanum, partim vi, partim tradentibus qui in praesidio erant. Et Comitis illius Intimilienſis perfidiam siue ſegnitiem fuiſſe aiunt, quae tam felicem inoffenſo prope gradu curſum primis illis Sforciae victorijs dedidit. Nam, quae curabant alij, certamen anceps & egregia conſtantia defendentium fuit, donec vires, & munimenta ſuppeditauere; vnumque ignobile caſtellum, Abiatum nomine dum aggreſſus Sforcia ipſe oppugnat, prope momento vno bellum omne ibi finitum eſt, directa per fiſtulatorem Mediolanenſem in ipſius caput plumbea glan- de, quae in proximi armigeri pedem aberrauit. Cuius ſui periculi memoria inſenſus loco voluerat poſtea victor, cuncta illic diripienda dare militi, niſi ab vxore Blanca exoratus fuiſſet ob exactam ibi primam aetatem vnâ cum Agnete matre. Derthonenſes publico antea conſenſu & vnâ omnis mente proni in Sforciam, nunc diuiſi factionibus, magis etiam morati curſum ſunt, donec introducto per Gibellinos equitatu ciuitas etiam ea caperetur. Parma, caſu prius quodam, deinde ciuium fide retenta eſt, cum interceptae Rubelliterae paratam proditiouem aperuiſſent, eaque reſpreſſa Picininus populo ipſo inuitante praesidium illuc duxiſſet. Ceterum, & impetus ardorque animi,
quo

quo bellum Sforzia aggressus erat, & successus etiam animo pares, fecerant Mediolani motus eos, qui solent esse ubi suarum quisque rerum exitum spectat periclitante publica; curasque eas ancipites, atque nutantem urbis statum Carolus Gonzaga conspicatus, sibi quoque enimvero ad spem augendae fortunae tentandum aliquid inter pericula illa aliena existimavit. Fuerat Gonzaga iste, quemadmodum demonstrauimus, in exercitu ductor auxiliorum tunc cum Sforzia palam à Senatu & Rep. alienatus hostem sese profiteretur; ac damnata spe nouae militiae eius, antehabitaque Rep. hoc ipso gratissimus apud Patres plebemque erat. Ea gratia fauorque publicus audendi initium fuit, scilicet ut imperium urbis Mediolani ipse occuparet, populique clamoribus princeps dominusue salutaretur. Largitione & epulis & comitate omni deterrimos, quosque ad id occulte praeparabat, neque primores urbis sefellit. Obuiam iere, Theodorus Bossius, & Georgius Lampugnani, alijque rem suspicati sicut erat, hi pro se quisque plebem hortabantur, ne pabulo obiecto trahi sese sub externi hominis iugum sineret. Si generum ultimi principis Sforciam studio libertatis adspernarentur, cur non alieni huius perniciofa blandimenta repudiarent? Gonzaga vicissim ad populum accusando criminatores suos, aiebat, bellum alere eos, non ut Sforciam depellerent, sed ut ipsi dominarentur. Ita corpus illud vnum defendentium libertatem in duas partes diuiditur. Hinc Gonzaga Tribunus.

bunus plebis cum tota factione Guelforum, hinc principes nobilitatis subnixi Gibellini nominis potentia sua consilia separatim inibant. Tribunus, quia obsepta sibi ad regnum via per Gibellinos erat, concitare quotidie Guelfam suam plebem, ut dominatum urbis ipsa inuaderet. Gibellina nobilitas duplici metu anxia, & ab hoste pariter, & ab ciue, domestico periculo magis penè, quam bello externo angebatur. Quippe aduersus diffusam illam tota vrbe multitudinem, quae contemnitur semper & terrere potest, in cuius manu artes & subsidia vitæ communis, nihil valituram imperij maiestatem, vbi semel ipsa contemnere imperitantes coepisset. Et iam haud dubie contemnebat. Neque consilium & prouidentia regimenque temeritatis aberat vulgo, cum Gonzaga stimulator idem duxque, cuncta regnantium dolis & astu moderaretur. Imperium vtique plebis aderat, cuius atrocia exempla, ne repetenda ex vetere memoria essent, ipsa sibi vrbs poterat esse exemplum. In magno illo discrimine, maiore metu, coniurauere Theodorus Bossius, & Georgius Lampugnani, alijque ut dederent Sforcia urbem, qui conjuratorum eorum accitum statim castra ad Landrianum decem millia passuum ab vrbe habebat. Picininus, cui res erat bellica mandata, cum certa iam ei constarent indicia coniurationis, hostemque propinquantem videret, excitabatur veteribus odijs, & priuata aemulatione erga ipsum, ut ad Remp. tuendam fidus attentusque esset. Nam si Sforcia urbem imperiumque haberet,

haberet, captum se fore vnà prospiciebat; vsusque est dolo, quo nihil callidius, aut astutia Poenorū, aut quæ Romanis honestiore vocabulo prudentia dicta est, struere inuicem potuit, dum fraude, siue armis vicisse decus idem putant. Simulans namque sese desperata Rep. necessitati imminente succumbentem, transiit vltro ad Sforciam quasi gesturus vnà bellum aduersus iam prope victos Mediolanenses; reuera, vt victoriae obstaret, ac inclinatis vteunque hostiū rebus, & cognito ibi quicquid parti alteri futurū vtile esset, Mediolanum postea reuertetetur. Benigne ab Sforcia acceptus, Iacobum quoque fratrem ei fraude eadem conciliat. Huic Drufiana Sforciae filia despondetur: dona ampla dantur vtrique; nec inter tanta pignora fidei securus incautusque Sforcia agebat. Post vtriusque Picinini transfugium, tantò magis coiurati ignari qua mente illi quoue consilio transfugissent, properabant dedere urbem, vt sui muneris ac beneficij facerent id quod propediem Sforcia suo Marte habiturus esse videbatur. Sed per litteras, & nuntios, quos super ea re occultissime in castra mittebant, conditiones ferebant eas, vt decernere bello, cum honestius sibi, tum verò etiam tutius ille existimaret, atque ita etiam responderet. Interim epistola vna e castris in urbem ad Bossios de rebus eis missa intercipitur atq; perfertur ad summum Magistratum vrbis, qui Guelfarum partium erat, valida iam plebe, & proiecta vilique autoritate Senatus, tum in-
stinctu Gonzaghae, tum credita defectione Picini-
Ggggg norum,

norum, & semper inexsuperabili multitudinis impetu, ubi suas vires ipsa circumspexit. Erat epistola scripta notis occultis & celantibus sensum, ut vana foret interpretatio præterquã ei qui tesseram apud se haberet. Ea ipsa res auxerat plebeio Magistratui suspicionem atrocis alicuius doli, quòd litterae non intelligebantur; ac propositis large præmijs exquirebant, qui nodos explicare eos posset. Repertus est homo mirifice callens eius artificij, versutus quidam & profunde solers, qui principum omnium limina contriuerat, scribendoq; talia & interpretando diu operam venditabat. Is admirabilium earum notarum aliquas cognitatas sibi & familiares primo statim ad spectu excepit: deinde harum indicio deprehendit alias: et rursus hæc admouit alijs, quæ latebant adhuc: simul interualla significantia nihil, & numeros expungendo inanes, ad liquidum certumque paulatim cuncta adducebat. Demum cò peruenit, ut sententiam omnem fallaciam litterarum extricatam & apertam exhiberet Magistratui legendam, quomodo scripta etiam quotidiana leguntur. Inerant colloquia Sforciae ipsius cum fratribus Bossijs Aluisio & Theodoro; & ex ijs, quae scripta erant, cetera etiam intelligebantur: Nomina coniuratorum in promptu: conditiones recitatae vel acceptae: quomodo res conuenire aequabilius posset: quomodo etiam populus ipse eludi; & praecipue cognoscebatur, agitatam esse illud, uti per Portam Nouam Sforcia in urbem induceretur. Namq; regio erat ea plena Gibellinorum, minimeq;

minimeque tunc opifices & fellulati in parte in illa habitabant, vt absque vilo plebeio tumultu, nobilium humeris Sforcia portari in urbem posset. Detesta in hunc modum coniuratione, nihil dilata est pœna; capitaque procerum in rostris collocata sunt ad terrorem nobilitatis tamquam eo spectaculo populari imperium firmaretur. Neque id plebeiae fauittiae rudimentum caruit vlla arte, quam vel calidissimorum Regum aliquis ad principia rerum adhibere potuisset. Cùm enim in capiendis coniuratis timuissent grauiorem aliquem in vrbe motum, si clarissimi viri palam in vincula ducerentur, alium alia via quam occultissime circumuenere, Georgiusque & Theodorus dimissi specie legationis in Germaniam ad Cæsarem, & progressi Nouocomum vsque capti sunt ibi & obruncati postquam inter tormenta conscios edidere. Consciorum deinde addita caedes vbi sublatis authoribus inhorruerant conciderantque omnium animi. Dissimulata aliorum effugia, quibus parcere voluerant: alij relegati vltro, & proscripti, quos nec manere in ciuitate placebat, nec absentes timebant. Bona omnium publicata, subsidioque deinde eo militare ararium stetit. Ciuitas inde per Ioannem Ossonam institorem vilissimae mercis, & Ioannem Appianum etiam viliori conditione scribã siue Notarium regebatur. His aderant, præter Carolum Gonzagam ex ipsa nobilitate nonnulli, qui deserto & eiurato Gibellinorum nomine, fecerant se se

G g g g g 2 Guel-

Guelfos, & hoc ipso quia descriuerant à suis, non minus fidi habebantur, quàm ipsa sibi erat plebes. At Sforcia, ob conditiones, primò, sicut ipsi videbantur, iniquas, deinde, ob deprehensam disturbatamque coniurationem, amissa spe capiendae per dolum vrbs, penitus ad vim obsidionemque conuerso iam animo, promotis ab Landriano in suburbia castris ad ipsa moenia saepe excurrerat. Si arcta vlla vnquam & præcipitandis in desperationem animis apta obsidio fuit, hæc certe, & cingebat vndique Mediolanenses, & spem omnem subsidij abscindebat, itaut, vel frangi quamuis obstinata pectora necesse esset, vel necessitate vltima erumpere vltro inclusos, & dare cuncta in vnius horæ discrimen. Pars militum ad Viboldoni Monasterium, pars ad Melinianum steterat. Alij Piscariam, quarto ab vrbe lapide munitissimam per ea tempora arcem insederunt: alij circa Bagienſe Monasterium posuerant castra, castrisque præerant ijdem illi, quibus ob transfugia, Picinensis exceptis, haud minus quàm Sforcie ipsi cordi erat capi subigique vrbeni, quam ipsi prodidissent. Sforcia cum veteranis suis medius inter copias fere omnibus haud procul à Binasco elegerat locum. Ad Monasterium Cresciacense Ioannem quendam Hispanum, cum validissima peditatus parte collocarat. Ita, sex portae vrbs obsessae, & præclusae erant, vt aditus exitusque omnibus in potestate hostium essent. Vrbe in ipsa, dominante plebe, apta, & op-
por-

portuna cuncta hosti. Appianus & Ossona; mercator hic, ille Notarius, in summo Magistratu, moribus vterque suę sortis administrabant rem. Et quoniã offensis eorum indignitate animis, institutum postea erat, vt noui subinde Magistratus crearentur, quibus bimestre imperium esset, vicissitudine fiebat illa, vt ad homines etiam deteriores, quàm erant illi Appianus & Ossuna summa rerum rediret. Atq; ad Calendas fortè Martias inituri Magistratum erant sordidissimi duo, macellarius credo aliquis & pistor; hominesque eos, in purpura & imperio conspectura ciuitas, qui nondum infectam bestiarum sanguine, albenstemue farina exomidem posuissent. Id ipsum indignabantur ijdem illi, qui formam Reip. hanc instituerant, pudorque talis imperij etat idem, apud imperitantes iuxta & parentes, neque his aut illis curae officium suum, sed parti vtriq; verecundia præsentis status, timor futuri, & mutua sese intuentium, vel confusio, vel ira. Quam vrbs faciem, præsentiaq; & imminencia Carolus Gonzaga, quò propior interiorque erat, hoc magis intuens, ac velut intraturo mox Sforcia de salute sua dubitans, querebat sibi gratiæ locum, & occultis eum nuntijs monebat, si ad portam Ticinensem sub Cal. ipsas Martias accessisset, fore, vt propter noui Magistratus indignitatem, & sordes irritato populo in urbem ipse cum exercitu acciperetur; speraueratque id ita posse contingere Sforcia, & ne fortunæ suæ deesset, regio-

regio-

regione saepius ea frustra sese ostentarat. Mirum sane, tam discordem inter se ciuitatem, tam inuisos ciuitati Magistratus, & turbarum quodam modo Remp. importunaeque multitudinis eo tempore regnum, aduersus communem hostem in tam dura obsidione stare aliquandiu potuisse, sicuti stetit, & vlli constanti consilio locum interea ibi fuisse. Non modò irritus ab ea Ticinensi Porta Sforcia dimittebatur, quotiescunque successerat, sed, & vitae discrimen aliquando ipse adiit, displosâ in eum bombardâ, cuius ictum haud sine miraculo vitauit; & Gonzagam die quodam arrepta leui suspicione penè interfecerunt. Confirmabantur animi Mediolanensium expectatione subsidij, quod ab Sabaudiae Duce propediem adfuturum esse dicebatur, alente spem eam Maria filia Ducis illius, cui viduae, post Philippi mortem, ob matrimonij modestiam & merita, sedes & honor in vrbe idem, tam saeuis Reip. temporibus manebat, & versa domo finitoque principatu, ob misericordiam caritas etiam maior. Tam mites erga se animos in tali sua fortuna remunerari aliquo modo volens mulier, aiebat identidem, non vltra dilaturum esse suppetias patrem: si sustinuissent adhuc paulisper, fore vt non poeniteret. Ac sicuti dicebantur ista, ita etiam Sabaudus filiae rogatu re ipsa ferre obsessae vrbi subsidium parabat. Interimque Sforcia, siue suspicatus de ea expectatione & apparatu nonnihil, siue iam cernens, per ea stare subsidia quominus

minus domitam urbem captamque haberet, misso caduceatore monet hortaturque Mediolanenses, ne pertinacia defendendae libertatis pati extrema velint. Ne Sabaudiensi nimium credant, nimiumue promissis eius & ope subnitantur. Sibi Venetos & Florentinos & Genuenses adesse, quarum Rerump. auxilijs, & multo magis aequitate causae fretus, haud ante soluturus obsidionem sit, quam urbem imperiumque sibi debitum recuperarit. Malle id quidem salua Metropoli, saluis tot inelytaru religionum templis, quae Metropolim Romanae Maiestati fama iamdudum & praedicatione aequarint. Sed consilia haec esse pietatis & modestiae, quae locus in pace, vel praesenti, vel sperata; ubi abrupta sint omnia inter belli discrimen & victoriae necessitates, tunc nihil aliud spectari praeter victoriam & bellum; & ea etiam, quae, vel religione veneranda, vel natura cara sint, ruere inter cetera, quae vincenti obstant. Ita pulcherrimam, & antiquissimam urbem, quam conservari & manere incolumen sua plurimum intersit, nisi quamprimum dedatur, esse clade omni perustandam, atque, sicut existimare possent etiam ipsi, tot militum impetu diripiendam pejus iustiusque quam direpta Anobardi temporibus fuisset. Rursus, facta deditione, non modo conservaturos urbem, & sua omnia Mediolanenses, sed ne libertatem quidem ipsam, cuius inane nomen cum exitio suo defendere conentur, esse desideraturos. Haec Sforciae dicta ferens legatus, cum Mediolanum venisset, data sedulo

sedulo

sedulo opera est a Magistratu urbis, ut ne plures quam duodecim, in quorum praeterea manu Resp. erat, eius orationi interessent, datoque atroci responso, faceretur illico ex urbe iusserunt, & extra portam a viatore legatus est deductus, ne cum vlllo ciuium loqueretur. Spes deinde Sforciae omnis in obsidione belloque erat, & quia, dum tentantur agunturque ista, fenserat, nuntios, qui ab Sabaudienſe mitterentur, ingredi urbem ab ea parte, quae spectat Modoetiam versus, posseque regione eadem, tum copias etiam auxiliares, tum com meatus & annonae subsidia introritti; statuit oppidum aggredi illud, clausa magis & abscissa Mediolanensibus videns fore omnia, si aditum eum ipse intercepisset. Interceperat autem statim obtinueratque prope sine certamine Modoetiam, nisi Picininus, quo animo ad Sforciam, ut dixi transfugerat, eo corrupisset hanc ipsi occasionem, & in hostili acie pro Mediolanensibus stetit. Castra hic ad Sanctam (abest is pagus ab Oppido Modoetia duo millia passuum) posuerat, tamquam ab eo latere impressionem facturum, cum ab alijs duces alij partibus suo quisque agmine inuasuri essent. Ceterum, uti communicata & composita omnia cum nostris ille habebat, monuerat occulte Magistratum, si obfesso Oppido subsidium ab urbe mitteretur, liberum illac per sua castra aditum fore, nec hostile quicquam in quacunque parte ageret ipse, Mediolanenses esse reperturos; eaque res haud dubie Sforciam ex Modoetiae possessione detraxit. Nam, missi ab urbe
milites

milites, cum in Oppidum, ab ea parte transitum dante Picinino penetrassent, refecti modica deinde quiete sub auroram erupere cum Oppidanis in Sforcianos alios, qui nihil tale expectantes effulissime somno indulgebant, ac excitati vulneratorum vigilum clamoribus, post iniquam & infelicem denique pugnam, queis cordi salus fuit, aufugerunt. Nostri, bombardas maioris formæ aliquot, ceterumque castrorum apparatus, & quod pluris aestimabatur, animos ea victoria nati ingentes, longe plurimum animorum postea sumpserunt ubi Picinini duo, vel quia iam esse detectam, vel quia diutius non posse latere proditorem, satisque ad id quod voluerant effectum esse arbitrabantur, cum sua uterque manu refugere Mediolanum. His aucti copijs, & duorum ducum ad se transfugio confirmati Mediolanenses, Picininum minorem cum Carolo Gonzaga subsidium obsessis ferre Cremonensibus iubent. Picininus & Gonzaga egressi cum idonea manu, ex itinere Melinianum capiunt, ac soluta obsidione, Melitium etiam in reditu expugnant, magnâ curâ iniectâ hosti, quamuis callide, & curam, & animi dolorem apud exercitum suum tegere conaretur: Præcipue, amissi Meliniani damnum vrebat. Id utique recuperare Oppidum Sforcia volens, infestum exercitum rapit illuc, primoque impetu, cuncta præter arcem inuasit. Arcis præfectus, ut circumferri sese, & cuncta sibi in dies arctiora esse vidit, trium dierum inducias pactus, ut nisi intra eos auxilium ab vrbe mitteretur, præsidium inde

H h h h

dedu-

deduceret abiretque, spatium ciuitati dedit ad eius arcis oppidique defensionem emittendi exercitum, quantum subitatio intra muros delectu cogere maximum potuerunt. Locus enim ille permagni momenti ad summam rerum parti vtrique habebatur, & in vltimum veluti discrimen processere illuc. Fuere Mediolanensium ad triginta millia, in quibus, equites sex millium explebant numerum. Picininus alter praeterat his copijs, quem super solitos inter contrariorum exercituum duces, animos, stimulabat transfugij proditorisque conscientia, quod Sforciae castra secutus explorator, fallaci munere expleto deseruisset, collega fraudis germano, ac nunc agmen vterque hostile ductarent, ne titulo quidem quaesito villo, cur exuissent fidem, nisi quod inter belli iura perfidiam censuit omnis aetas. Etiam in ipso nunc procinctu, cum verecundia esse aliqua praeteritorum deberet, ausus est ductor iste Mediolanensium Picininus Sforciam insidijs appetere tam manifestis, vt illudere potius & insultare, quam insidiari videretur. Adco, ille, velut oblitus, oblitusue alios putans, quisnam ipse esset, quidue egisset, perseuerabat eisdem artibus hostem tentare palam; ac propinquo summae rei discrimine, per Leonem quendam e suis dici Sforciae haeciubet. Adesse cum sexaginta armatorum millibus sese, inuicta manu, etiam si aduersus parem numerum, & fidos inter se hostes exiret. Sed compertum esse sibi, quod praefecti nonnulli cohortium alarumque illius in medio certamine translaturi signa essent, eumque

cumque deserturi. Id pro amicitia monerè voluisse. Sforcia, gnarus, nec tantas esse Mediolanensium copias, & de sui exercitus fide satis securus, intellecto dolo, qui ad sese conterendum nimis aperte intenderetur, vicissim proditori insultans, veniret, dixit; sibi, quò plus hominum in aduersa acie habuisset, eò nobiliorem victoriam fore. De alieni militis erga Imperatorem suum fide sollicitus esse desineret; ipsum esse visurum, vt recte constituta & fida omnia circa se habeat. Et imperatores quidem talia inuicem iecerant; pugna verò illa tanti discriminis dilata est, siue, quia pari vterque metu defugerint vltimam aliam, siue quia detrectante certamen altero, pro victoria id alter habuerit. Sforcia certe tenuit arcem; & commoto acrius ad obsidendam urbem animo, segetes, quae iam prope maturae in agris erant, vndique corrumpere immisso equitatu parabat, cum Vigleuanensium defectio, & ab Vercellis Nouariam vsque progressi Sabaudientes, à populatione simul ipsum & ab obsidione auerterunt. Pro Mediolanensibus vtraque illa arma mota erant, & post multas ancipites pugnas variosque casus, recepto Vigleuano, fuso Sabaudiese, victor ab ea parte Sforcia, properus ad vastandum agrum, vnde fuerat duplici illo periculo repente auocatus, redit. Mediolanenses interim etiam ipsi apud Seprium aliosque rebellus secuerant attriuerantue fata, vt famem solitudinemque Sforcianis facerent, & vbi redisset Sforcia, exusto omni suorum agro, non haberet, vnde frumentum
 Hh h h h 2 caretur.

taretur. Capit in reditu Castelleonensem arcem, quam Brandus ex ea gente Cardinalis condiderat munieratque. Defectiones variae, vel ab Sforcia ab Metropolim, vel ab Metropoli ad Sforciam fiunt; in quibus, Varisenses, & Luganenses, primò adspernati quod ultro antea acceperant imperium, mox contemptâ patriâ sub idem redierant. Intimiliensis, de quo, Mediolanensium duce, dein proditore demonstratum est, ad Canturium hoc tempore agens, cum crebris & litteris & nuntijs ex vrbe sollicitaretur, vt deserto Sforcia, sese rursus ad nutum auctoritatemque Mediolanensium conferre vellet, comprehensum hominem, qui nouissime super ea re ipsum adierat, ad Sforciam in castra misit, ibique ille laqueo est exanimatus. In vrbe, Appianus & Ossuna, circumacto forte iterum sui Magistratus tempore, inuisi vilesque nobilitati iuxta & plebi conijciuntur in vincula, aegre vitato periculo, quominus populi impetu opprimerentur. Gesserant enim flagitiose magistratum, & suae vterque fortunae moribus vtendo institor & scriba, sicuti erant, multis crudelibus auarisque factis irritauerant animos etiam apud eos contempti, qui participes & ministri scelerum fuerant. Successerant istis, Appiano & Ossunae Guarnerius Castelleonus, Petrus Pusterula, Galeotus Tuscanus, quorum modestiae ac virtuti contigerat, vt summam potestatem homines nobiles obtinerent in eo imperio quod iam haud dubie plebis esset. Magnopere hicupierant persuadere populo, vt Frâncisco

Sforciae

Sforciae dederent urbem, siue mansuetis animis miserati tot patriae clades, & lenitate insita pertaesi defensionem libertatis, quae tanto ciuium sanguine constaret; siue qua alia de causa prouin hostem. Sed nequaquam ausi ad populum referre, secretis tantummodo inter se consilijs & votis rem eam agitabant. Populus, neque inclinatione vlla rerum, neque noui Magistratus propensione flectebatur, quo minus abominari & persequi bello Sforciam pergeret, verboque in concilijs utebantur huiusmodi; si diutius tueri urbem nequirent, potius eam ipsos esse deserturos, quam ut regnantem in ea Sforciam viderent. Henricus Panicarola mercator erat Mediolanensis, qui negotia fortè magna Venetijs habebat, atque ibi aliquandiu morabatur, & quamquam abiens, plebis reliquae praesentis animos erga patriam gerebat. Huic mandant, ut ab Veneto Senatu petat, ne in eo bello, quòd geratur, stare cum Sforcia amplius velint. Sed cum Rep. potius Mediolanensi foedus iungant, quae Patres eos in parètum vere loco sit habitura, vbi id impetrarit. Arque ille, semel iterumque in Senatum admissus, ostendendo multa & promittendo tenuit, ut quatuor e Patribus darentur, cum quibus agere posset etiam alia, quae secreto agenda in mandatis haberet. Ea cuiusmodi fuerint comperti nihil habemus. Illud minime dubium fuit, partim huius legatione Panicarolae, partim occultioribus Veneti legati qui Sforciae castra sequebatur ad Senatum suum litteris, esse perfectum, ut Patres, de relinquendo

Sforcia,

*Panicarola
mercator*

Sforcia, transferendoque ad Mediolanenses foedere magnopere cogitarent. Scribebat legatus e castris, monebatque suos, inexplicabile sibi videri bellum ob munimenta vr̄bis Mediolani, & pertinaces ibi animos, inexhaustamque multitudinem; ac si spes tamen aliqua esset prius finiendi belli, quàm ipsorum Resp. exhauriretur, cogitandum utique esse Patribus, an deberent suis armis atq; opibus facere Mediolani Ducem vnum, qui, vbi semel in ea parte inualuisset, spes in perpetuum foret adempta Senatui Veneto consequendae rei, quae necessaria esset, vt maximum suum in Italia imperium facerent. Nunquam postea locum fore Venetorum armis ad Mediolanensis agri glebam vnam occupandam, si teneat eam vr̄bem Sforcia ille tam audus potentiae, tam solers bellandi artium, tam grauis accola, tam metuendus. His itaque permoti Patres, dissimulato consilio, quo mouerentur, tamquam haud aliã, quàm Reip. Mediolanensis curã, Panicarolae dixerunt; ipsos breui duros esse responsum, quod laetus ad suos perferret, ac monuere, vt eius responsi diem expectare ne grauaretur. Nihil horum sciebat Sforcia & coniuucto cum Venetis adhuc exercitu animoque cum ijs vno rem aduersus Mediolanenses gerebat. Sancti Angeli municipium appositum Lambro flumini Ticeinum inter & Laudem Pompeiam aggressus tertio die expugnat. Picicatonensem arcem in Abduae fluminis ripa Cribelli fratres, qui ibi in praesidio erant, prodidere, idq; postea Cribellis apud Sforciam

initium

initium fortunae amplioris fuit. Mox, direpta Mar-
thesanâ, Vicomercato incenso, rebellionem eius re-
gionis ultus, terrore subegit eo Melcium, & Cassanum
& siqua in Briantacis vel circa Larium lacum adhuc
nutabant. Quae omnia cum tenore vno fluerent
in Sforciam, accessit etiam ad res Mediolanensium
aggrauandas aliud ciuile malum quo nihil vtilius
esse hosti poterat. Galeotus Tuscanus & Petrus
Pusterula, post Ossunam & Appianum, vt dixi, renue-
rant summum vrbis Magistratum homines nobiles &
modesti, sed apud plebem suspecti magno illo cri-
mine, quasi rem ad Sforciam inclinare voluissent.
Hi, postquam abiire Magistratu, suspicionibus irri-
tata suis plebes, interficere vtrumq; voluerat, cumq;
Pusterula vim facuam fuga eluctatus euasisset, Ga-
leotus debilitate pedum, senioque tardior obtrunca-
tur. Erat summa necessitudo Galeotto huic cum Ca-
rolo Gonzaga, qui, simul indigne terens amici necem
simul Sforciae rebus commotus secundis & magnis
& conuerso olim in eum animo, haud vltra cunctan-
dum ratus, Capra quodam internuntio paciscitur
vt dedita Laudensi arce, quam ipse in potestate habe-
bat, Derthonam ab eo pro tanto beneficio accipiat
vicissim, atque receptus inter principes amicorum in
gradu militiae quam honestissimo collocetur. Ita,
nostri participem cōsiliorum omnium amisere Gon-
zagam, & cum eo, paulo post, etiam vrbem, quae
horreum populi Mediolanensis ob inclytæ fertili-
tatis agrum haud dubie habebatur. Harum tam se-
cundarum

cundarum

cundarum Sforciae rerum, quas breue spatium con-
iunxerat, ignari Veneti iam dederant Panicarolae
responsum, quale Mediolanenses optabant; velle Se-
natum foedus inire cum Metropoli, daturusque
operam, vt ea salua sit; arma dissociaturos ab hoste,
qui nunc lacessat. Haec dicta negotiatori Panica-
rolae; simul ad Sforciam in castra missa legatio, quae
iuberet ipsum à Mediolanensium finibus abstinere ar-
ma; si parum ad id Senatus autoritas valeret, minae
etiam adhiberentur. Verùm, vbi belli fortunam &
rerum earum quas dixi cursum ex legati sui litteris
cognouere, mollius rogabant eadem; ac si vellet etiã
Sforcia insistere coeptis, iudicium se eius vtique secu-
ruros esse aiebant. Nam antequam prioris trucu-
lenticiae mandata peragerent legati, mitiora haec, cum
adhuc essent in itinere acceperunt. Sic Sforcia libe-
ratus ingenti metu (fortè enim de prima illa denun-
tiatione senserat aliquid) oppugnare urbem aggre-
ditur; cumque infauusta impressione subiisset ad por-
tam Orientalem, reiectus inde grauia per triduum
sustinuit certamina, quaeis haud multo plus intulit
damni, quam accepit. Naetus inde spem aliquam ir-
rumpendi per fossas, quae ab Orientali ad Cumanam
portam, neque admodum latae, neque satis custoditae
excurrebant, de tertia fere vigilia nocturno impetu
suggressus, pro negligentia & solitudine quam spe-
rarat, reperit ibi oblepta omnia armatis, ictusque
crebros edente bombardis, cruento & irrito conatu
etiam inde abscellum est. Quod vbi Veneti Sforciam

ram

tam longe esse progressum, tam propè ad summam spei discrimen accessisse vident, tunc enim: rō patrijs suis artificijs, & nativae lentitudini, solitisque temperamenti nullum iam esse locum rati, abrupta palam omni dissimulatione & astu, legationem in castra hanc mittunt. Petenti pacem & amicitiam ab se populo Reipublicaeque Mediolanensi ipsos negare non potuisse, iamque socios & amicos Veneti Senatus esse Mediolanenses. Pro ea pace, & amicitia & societate, nefas iam esse Venetum vllam militem in iisdem morari castris, belloque quod aduersus populum eum geratur, Veneta arma, opes, pecuniam, consiliumue adesse. Si Sforcia quoque pacem velit, conditione hac habiturum vti restituat cuncta Mediolanensibus, quae sub Philippi Mariae mortem habuissent. Alioquin, pro foederatis amicisque suis Venetos strenue arma esse capturos, nequid detrimenti patiatur gens, quae suae fidei sese permiserit. At Sforcia re subita percussus, questus primò pauca, deinde obrestatus, vbi nihil profici verbis vidit, ad consilia vertit animum profunda illa scilicet atque quotidiana sibi, etiam vbi nec damno nec dolore sollicitaretur. Temporis spatio maxime indigebat, quo & absumeretur, quicquid frumenti reliquum Mediolani esset, & duo omnino itinera, Bripiense nimirum & Tritiense, quibus itineribus ab Veneto mitti in urbem aliquid poterat, interciperentur eorum prodicione, qui arcem vtramque habebant. Hac mente dissimulans omneis turbati animi motus, legatos

liiii

etiam

etiam ipse suos Venetias mittit cum querelis & precibus iisdem, queis ipse Venetum legatum affatus paulo antea erat, petens ne desereretur ab Senatu, cuius auspicijs id bellum suscepisset, inuocans Patrum fidem, inculsans quoque & requirens quasi per fiduciam & libertatem. Legati erant, Alexander Sforcia, Angelus Simonetta & Andreas Biragus; quorum ille Sforciae frater, hi Mediolanensium desertores, cum mandata exposuissent, siue perterriti Senatus auctoritate, siue ita instructi, pacem, in eas condiciones, quae antea iactatae fuerant, acceperunt. Induciarum interea exierat dies, per quas, Sforcia, corruptis clam ad Tritium Bripiumque praefectis, ne Veneto transitum ad Mediolanenses darent, facta pace cum Sabaudiae Duce, clausis undique comitatibus, sprete pace, quae per suos inita erat, in Mediolanenses simul & Venetos, tamquam aduersus unum hostem parabat bellum. Nec in parte altera cessabatur, quamquam in faciem imaginemque pacis dimissa legatio esset. Fortè pontem e nauibus iunctis ad Tritium facere Veneti instituerant, ut copias, annonamque transmitters in Mediolanensem agrum possent; & iam ad exitum prope perducta mole prodibant quotidie ad visenda operis incrementa duces nostri, queis ea iungendi fluminis cura cum Venetorum ducibus communicata erat. Hanc Sforciae gratificandi occasionem speculatus ille, qui pro nostris preerat aerei, iam antea corruptus ab hoste sicut demonstrauit, & occulte ei addictus, indicat, posse
capi

capi curatores eos operis, si in vicina latebra occultentur armati qui repente profiliant, & naualis fabricae contemplationi intentis strenue inijciant manus. Id initium fuit violandae pacis, quae neutri parti rata erat, & integrandi belli, ad quod nouo post irritam pacem impetu resurgere parabant, Sforcia namque abditis in monstratam latebram armatis, & comprehenso Innocentio Cotta, qui fortè vnus ad uisendum opus prodierat, eius captiuitate hominis, tamquam oblato mirifice instrumento statim est vsus ad capiendam S. Columbani arcem, quae vna efficiebat, ne Laudensis agri possessione Mediolanenses excidissent. Lucius Cotta captiui frater arcem eam cum valido praesidio obtinebat a cerrimus Sforciae insectator, & ab ea commendatione locatus ibi, quia noctis magnopere cordi erat, ne qua proditione frumentarium id propugnaculum amitteretur. Sforciae iussu dicitur Innocentio, ni praefectus illico dedat arcem, ipsum protinus contra moenia illa oportere suspendi, vt in fratris conspectu nocturni furis more extinguatur; idque confestim Innocentius Lucio significat. Non tulit fraternus animus vim doloris ex obiecto spectaculo, & quasi res ipsa iam ageretur, alienato penitus ab honestate fideque sensu, dedita arce hostem illuc admittit, transitque ipse in castra hostium velut ab scelere ad scelus. His itaque initijs vsurpato belli iure Sforcia copias fere omnes ad Bripium in Briantacos contrahit, transitu Abduae prohibiturus Venetos, qui nuper hostes, nunc socij Me-

diolanensium, in socium modò, iam hostem armati
 Sforciam, superauerant flumen, insederantq; collem,
 cui Genesij Martyris Aedes, quae est in summo eius
 vertice nomen fecit. Est eo nomine collis in extre-
 mo Briantorum sine, quem tamen, collium aliorum
 cacumen verius quàm ipsum per se collem appella-
 neris. Namque colles nostri, Barra monte auulso,
 qui asper fere incultusque est, molliter ab radicibus
 expatiantur, deinde assurgunt, spatianturque rursus,
 donec, perpetuum & vario felicium arborum vestitu
 fertile dorsum attollere incipiant. Ab dorso dein-
 ipso, leuiter fastigiati alij vertices attolluntur, quos
 nominant incolæ, prout, vel incola verus, vel situs &
 natura tumuli, vel priscorum aedificiorum vestigia
 reliquiaeque docuerunt. Stat horrido supercilio Barra
 cautibus armatus suis, & ab cetera montium serie ab-
 ruptus ille scilicet, cuius nomen atque parietinas, in-
 ter alia vrbiū deletarum funera Plinius refert. Pro-
 ximus huic Barauus est collis, credo sic dictus, quia
 gentis eius homines aliquando ibi constiterunt. Inde
 nudo fastigio supra densas vndique siluas Apertus
 vertex, id ipsum ex nuditate nomē inuenit. Ab Aper-
 to vertice, per varios anfractus, montibus suis immi-
 nens sylua excurrit, donec in S. Genesij collem, qui etiã
 ipse nudus apertusque est, desinat. Imminet hic Ab-
 duæ flumini, fronte quidem in Briantacos occiden-
 temque Solem, tergo autem in Bergomates atque in-
 orientem obuersus: latera meridiem adspiciunt. Ab
 ipsa Briantaeorū parte series alia collium surgit, quo-
 rum

rum Calchus est fere oppositus huic, nec longe inde
mons Vetus abest inclytus ob vina. Collem vtrumq;
Genesianum & Calchum statuerat Sforcia occupare,
existimans, si ea munimenta haberet, diremptos ab
omni Venetorum ope fore Mediolanenses, tractusq;
Briantaeorum illos vniuersos, ob crebras arces na-
turamque regionis inter bellorum discrimina, sem-
per munimentis vrbis militari fama aequiparatos
in potestate se habiturum. Verum, vbi Venetos in
Genesianum anteuertisse cognouit, Calchumque ab
ijsdem teneri, pene desperasse de victoria dicitur, ac
tanto magis, quia tempore eodem, in vltiore ripa,
constiterant plures transitumque tentabant, & ex
collibus ad Briantacos occupandos magno impetu
descendebatur. Pugnatur acriter, & ad colles, & ad
flumen, ne descendant illi, neue isti transmittant. Pu-
gna maior in Genesiano fuit, descendendique & pro-
hibendi certamine extracti Sforciani in saltus, diui-
sum aliquandiu cum Venetis habuere collem. Veneti
Sforcianos, altius enixi, quàm Martyris ipsius est aedes,
saxis hastisq; detrudebant. Huic rerum discrimini
egressus ab Madoctia Picininus cùm superuenisset,
montemque Veterem, & montem Calchum bifariam
diuiso exercitu succedens coniungere sele Venetis
tentasset, retro Mediolanum est ab Sforcia non sine
clade compulsus. Mox pari victoria Barram mon-
tem obtinuit, qui etiam ipse ab Septentrione prae-
ceps in Abduam, subeuntes ab Olginato Venetos
opportune prohibebat. Paulatim inde, & qui Cal-
chum,

chum,

chum, & qui Genesianum collem tenuerant, obtinente regionem Sforcia, subacti fame, vel abire inde maturauerunt, vel vltro ad Sforciam transire. Ita auxiliares nostri, cum nusquam in Briantaeo tractu consistere potuissent, regioneque exclusi ea, simul excluderentur facultate defendendæ urbis Sforciamq; depellendi, statuerunt, capto per Larium lacum ambitu regionem eandem ab tergo circumuenire. Quod Sforcia parari cum sensisset, mittit obuiam eius, qui ab illa etiam parte venientibus auxilijs obfistant, ne quid laxamenti & subsidij alicunde Mediolanensibus detur. Ibi verò parumper dolus vnus casusue militaris, & Sforciae partes afflixit, & Mediolanenses spe auxiliij sicuti videbatur appropinquante, sed ad exitum irrita, subleuauit. Ductores copiarum ex nostro exercitu quidam, siue ad fallendum hostem re composita cum Imperatore Picinino, siue concepta vere animis transitione, deinde mutato animo, quam occultissime nuncium ad Sforciam mittunt; ipsos imperatoris iussu tendere Nouocomum, vt venientibus ab ea parte Venetis sese coniungant, quò facilius tutiorq; aditus in Briantaeos auxilijs pateat; Si velit Sforcia benigne accipere, ipsos ad eum cum agmine suo esse transituros. Haud contemnenda res visa hosti. Honestum apud se locum & larga prolixaque omnia pollicitus, mittit octo peditum cohortes, ducibus Salernitano & Intimiliensi, qui manum eam transfugarum accipiant, & ad se deducant. Transfugae, & numero longe plures erant, & nominis

minis eius obtentu specieque societatis resoluta in
securitatem hoste, parati ipsi intentique ad rem ge-
rendam. Vbi inuicem propinquauere, Sforciani qui-
dem porrigunt dextras dantque sese in amplexus,
nostri verò stringunt gladios, & attonitas repentino
eo malo cohortes caedunt spolianteque, fugientibus
insistunt, resistentes paucos, & mortis honestae glo-
riam quaerentes, tantò infestius lacerant; quosdam &
abduxere. Sic Veneti auxiliareis Briantiae terras in-
trant, & primùm omnium, Barram montem corona
oppugnare aggressi frustra id incoeptum habuere.
Ceterùm, obsidione mox eum capiunt, ac refecto ad
Olginatum ponte, quem paulo antea fugientes ipsi
interfecerant, captisque aliquot in fluminis ripa ca-
stellis, summa Briantaeorum tenebant. Id Sforcie
fessus diuturnitate belli pabuloque ad sustentandum
equitatum necessario iam prope defectus, parum cu-
rare coeperat, si montibus sederet hostis dummodo
ne ad plana urbem versus descendere eos pateretur.
Urbi ipsi famem admovebat extremam obsessumque
Venerum intercautes & saxa habebat. Iam Medio-
lani tanta erat penuria, vt vicenis aureis nummis
hordei modius constaret. Ea ditiorum alimenta
erant. At miserima egentium multitudo, omnia,
quae atteri dentibus possent, naturali desiderio velut
in rabiem acta carpebant passim; atque interim exem-
pla omnia esurientium edidere, quaecunq; vnquam,
vel obsessis accidere exercitibus, vel ad subiiciendas
oculis miserias obsessorum excogitare potuerunt
ingenia

ingenia, quæ eos calamitatû humanarum & extremæ patientiæ annales cõdidere. Ego in vrbis nostræ diarijs hoc reperi relatu etiam horribile & foedum; Equorum & asinorum frustra, felesque, & mures, & canes, & animalia cetera, quæ ne dici quidem inter cibos ac nominari fas est, venalia interim apud forum esse habita, pretijsque venundata iisdem, quæ aliâs legitima fercula parantur mensis. His nutrita dapibus multitudo fiebat quotidie contumacior, exsueratque obsequium paulatim omne erga eos, sub quorum imperio ac regimine talia patiebantur. Magistratus, delegata exercitui suo auxiliariibusque Venetis cura suppeditandi annonam expediendorumque com meatuum vrbis, & precibus eos & querelis assidue vrgebant. Illi, circa Briantiae colles penè obsessi consultando terebant tempus; duæque res capitalissimæ populo Mediolanensi detectæ sunt tempore vno; defectionem ad Sforciam parare Picinum Imperatorem exercitus nostri, & maligne lenteque rem administrare Venetos, quia sperarent, deductû ad extrema populû, odio Sforciae, potius dediturum ipsi esse vrbem; idque Leonardus Venerius Reip. eius legatus Mediolani sedens occulte moliebatur inter eos, qui, nec ab Sforcia capi patriam, nec liberam esse eandem volebant. Sed Sforciae destinatum imperium occulto superûm impulsu ruebat in eius humeros, vt domus denique illa, sub infelici pondere, post aliquot annos, prioris fortunæ quietem frustra exoptaret. Estque Sforcia in vrbem imperiumque acceptus orto
inter

inter ciues ipsos maiore tumultu sicut demonstrabo. Cùm ex bello tam atroci, intoleranda fames, ex fame desperatio vltima Ciuitatem inuasisset, & super duo haec semper inter se connexa mala, fere grauius aliud in vrbe malum saeuiret, discordia ciuium, & maiora penè inter ipsos, quàm in communem hostem odia; conuentus passim habebantur, tam contrarij & crebri, quàm variae hominum voluntates, & quàm diuersae calamitatum formae erant. In Scalensi templo maxime congregabantur tuendae adhuc libertatis auctores, atque ibi in media fame consilia aliqua inibant, vetuerantq; Magistratus accedere eò, nisi quem ipsi nominatim exciuisissent. Sed die quodam, Portae Nouae homines ad arma consternati concitât ceteros, & eam publici Concilij sedem irrumpunt rupto imperio terni quaterniq; prout quosq; fortuita congressio, vel necessitudo aliqua consociarat. A Petro Cotta, & Christophoro Pagano præcipue stimulabantur, quorum vtriq; dedi urbem ac recipi Sforciam placebat. Et iam plures cum Cotta & Pagano stabant in circumiecta templo area, quàm cùm principibus libertatis intra templum. Praefectus rerum capitalium ad coercendam eam licentiam cum lictoribus, & cohorte sua progressus, factò in eum impetu protruditur aegreq; euasit. Par discrimen adierat Lampugninus Biragus, quem ad tumultum eum inspiciendum sedandumq; Magistratus ex templo emiserant. Dira fames, quae iam aderat, quaeue in dies adfutu-

ra facuior videbatur, diuites quoq; conterruerat, & finiendi belli cupidine concitauerat etiam eos, qui oppetere cum patria statuerant potius quàm, vt ad vllam inimicam libertati conditionem adduci sese paterentur. Itaque, crescente in momenta numero coadspernantium auctoritatem publicam, pars hæc ipsa sit publici concilij instar; & quò plus uirium auctoritatisque haberent, duces sibi duos fecere, Gasparem Vicomercatum, & Petrum Cottam: Cotta ab authoribus libertatis in vincula conijcitur, & irritatus Collegæ captiuitate Vicomercatus, tãto promptius ardentiusque confirmat suos, & rem susceptam exsequi festinat. Circumgrediuntur, infesto agmine Palatium, in quo sedebant Magistratus vrbis, & vidua vxor Philippi, Venetusq; legatus, & plerique alij ex tota illa nimium fortasse generosa factione, quæ libertatem vrbis saluti anteponebat, nec posse vllam absq; libertate venire salutem arbitrabatur. In ea irruptione, Venetus legatus, ab Ioanne Stãpa interficitur, cùm ille repentino excitus tumultu in Aulae forte limine ad increpandã irruentiam licentiam, iure gentium, vt existimabat ipse tutus constitisset. Diffugiunt Magistratus, totaq; momento fere vno tribunitia potestas, & illud populaire imperium dissoluitur. Nobiles, disposito ad portum claustra milite, Palatioq; communito, in Scænte templum, ad consulendum de summa rerum postero die secedunt. Non facilè inter ipsos coniebat quid deinde optimum saluberrimumue factu censerent,

conferent; cum varia in omnes partes itinera consiliorum ostenderentur. Dixerat aliquis eiusmodi sententiam, ut persisterent in defensione libertatis; sed mutata gerendi belli ratione, & vitatis Imperij plebeij vitijs rem sapientius cautiusq; militarem constituerent. Alius, nullum id esse consilium demonstrabat. Galliarum regem accersere non nemo: plures Regem Alphonsum: aliqui Sabaudiac, Ducem: pars mitissima Senatus, nusquam beatiorum fore patriam, quam sub Christi Vicario aiebant, ideoq; permittebant cuncta Apostolicae Sedi. Sed cum subsidia consiliaq. haec in tali statu, vel sera & longinqua, vel infida & imbecilla reperirentur; illata fortè mentio est de admittendo Sforcia, qui filiam legitimi Principis in matrimonio haberet; qui victor prope instaret moenibus; quem si ante victoriam admisissent, non accepisse coacti, sed ultro fecisse Principem viderentur; tantoq; mitius sperare imperium deberent. Mirifica voluntatum inclinatio, qua repente in eam sententiam iere omnes, videri potuit prodigium, vel calamitatum ab Sforciano dominatu imminentium vrbi, vel exitij, quod gentem eam dominatumq; manebat. Principes, & legati Mediolanensium profecti in castra dedidere Francisco Sforciae seque, & urbem, & populum, nouumque Principem Mediolanum in ipsam Imperij sedem laeti deduxere. Ille magnum animi moderati specimen in ipso statim ingressu dedit, quia adornato per principes, & oblato curru quo subli-

mis vcheretur ad capeſſenda primordia dominatio-
 nis, factum eum adſpernatus, vmbellâ quoq;
 repudiatâ pari cum ceteris cultu ad
 templum maximum ibi coronan-
 dus proceſſit.



[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.]